E. W. Weissenborn.

DE ADIECTIVIS COMPOSITIS HOMERICIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS DIE XIV MENSIS MARTII A. H. S. MDCCCLXV HORA XII PUBLICE DEFENDET AUCTOR

EDMUNDUS WEISSENBORN

MUHLHUSANUS

Wilhelm

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

J. SANNEG, CAND. PHIL.
K. WEIDENKAFF, CAND. PHIL.
TH. AMEIS, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM.

FORMIS F. FISCHERI BROMBERGENSIS.

[1865]

§ 1. Quintilianus eo loco institutionis oratoriae quo de compositis latinis obiter disserit, discrimen quod intercedat inter compositionem graecam atque latinam his verbis significat: I, 5. § 70. „res tota magis Graecos decet, nobis minus succedit, ... ideoque cum κυρταύχενα mirati simus, *incurvicervicum* vix a risu defendimus". Ac profecto quidem in summis linguae graecae virtutibus habendum est, quod ad vocabula componendo formanda aptissima sit. Quare apud omnes scriptores inde a graecitatis principiis usque ad infimam aetatem compositorum numerum uberrimum deprehendimus. Imprimis vero carmina epica compositorum multitudine excellunt. Etenim vocabula composita non modo rerum descriptioni bene inserviunt, verum etiam orationem insigni facilitate expediunt; atque metrum quoque versus heroici ex vocabulorum compositione haud raro magnas sibi venustates petit. Quis est quin verbis ἑκατηβελέταο ἄνακτος mire commoveatur, cum maiestas adiectivi compositi tam levibus rhythmis infusa sit? Hae sunt causae, quibus ad compositionem graecam tractandam incitatus sum. Sed cum tota materia maior sit, quam ut angustis commentationis finibus comprehendi possit, antiquissimum epicorum et ceterorum longe praestantissimum mihi proposui, cuius composita accuratius tractarem. Adiectiva autem sola ex vocabulis compositis elegi, quippe quae permagnum compositorum numerum efficiant, quodque in iis maxima compositionis varietas cernatur.

Adiectiva composita omnia pro natura prioris partis in tria genera discernenda sunt, quorum primum ea composita complectitur, quae a particula incipiunt; secundo generi quae in priore loco verbum ostendunt, adnumeranda sunt; tertium efficiunt, quorum pars prior aut nomen substantivum aut adiectivum est. In fine compositorum substantivum, adiectivum, forma adiectiva a verbo ducta invenitur. Quare quum particulae aut substantivum aut adiectivum aut verbum, verbo substantivum, substantivo atque adiectivo aut substantivum aut adiectivum aut verbum subiunctum sit, in universum decem classes disiungendae

sunt. *ἀντίθεος, ἀντάξιος, ἀμφίθετος, ὠλεσίκαρπος, χρυσόθρονος, θεοείκελος, ἱππόδαμος, πολύκαρπος, πολυδαίδαλος, πολύτλητος.* Sed diversae illae classes aut priore aut posteriore parte inter se congruunt. Itaque ne quae antea exposuerimus, saepius repetere et retractare coacti simus, in prima commentationis parte mutationes quas prior aut posterior compositorum pars subeat, diversis locis percensebimus; in altera vero parte composita, qua propria vi ac notione ornata sint, per decem illas classes deinceps perlustrabimus. Ubi de formatione adiectivorum agitur, anomala tantummodo omnia singulatim pertractasse, ceterorum vero pauca exempla attulisse et rei demonstrandae et lectoris cognitioni sufficiet; praesertim cum infra omnia composita in classes divisa libello subiungere mihi proposuerim.

Cap. I. De formatione adiectivorum compositorum.

§ 2. Statim ab initio disiunctio facienda est inter composita germana et adulterina; quorum illa ad certas componendi leges formata sunt, haec vero in primo loco flexionis formam praebent. ea primum in duo verba disiuncta pronuntiabantur, sed cum eadem semper verborum consecutio esset, sensim in unum vocabulum coaluerunt. Deinde tempore procedente plurima id genus composita in fine ad merorum compositorum similitudinem ita mutata sunt, ut prisca flexionis forma in priore tantum parte servaretur. Adulterina illa composita modo in vocabulis quae a nomine aut verbo incipiant deprehendi, per se intelligitur. Cuius rei ut exempla afferam vocabula *ἀργυρότοξος* (*ἄργυρος* + *τόξον*), *ἱππό-δαμος* (*ἵππος* + *δαμ-εῖν*), *αἴθοψ* (*αἴθω* + *ὤψ*) quae in primo loco stirpem primitivam exhibent, in meris compositis habenda sunt; dum *δουρίκλυτος* in *δουρὶ κλυτός* disponi potest. voces *Μενέλαος, ἐρυσί-πτολις, Πυλοι-γενής* vero utriusque componendi formationis participes sunt, quippe quae flexionis formas atque verae compositionis terminationes praebeant; proprie quidem *μένε λαόν, ἔρυσι πτόλιν, Πύλοι γενόμενος* dici debebat.

In carminibus Homericis duo tantum vocabula componendo coniungi solent. Sane quidem saepius plus duae partes in compositis cognoscuntur. at vero composita ita formata omnia in adulterinorum numerum reiicienda sunt. Veluti *Πρωτ-εσί-λαος* in tres voces *Πρῶτος ἔσι λαοῦ* (primus es populi) dividi potest. Particularum vero nulla ratio habenda est, quippe quae non

propria notione ornatae sint, sed cogitationis formis exprimendis suppetias eant. Quare praepositio aut una aut complures duobus vocabulis addi possunt: composita sic formata nostrae legi non repugnant. Ex illo quoque duarum partium numero praeclara Graecorum moderatio cognoscitur; etenim quamvis lingua graeca per se ad composita etiam plurium partium formanda egregie valeat, cuius rei praestantissimus testis est Aristophanes, tamen poetae graeci exceptis comicis hanc compositionem fugerunt, ne uno vocabulo ceteris nimis praevalente pulchra atque aequabilis verborum structura perturbaretur.

Respicientibus igitur nobis adiectiva composita pro forma partis prioris tria genera offeruntur; primo loco aut par ticulae aut verba aut nomina posita sunt.

I. De adiectivis compositis quae a particula incipiunt.

In universum igitur notandum est particulas, quantum pro natura proximae literae fieri possit, nihil mutatas vocabulo sequenti praefigi. atque parvus est numerus earum, quae unius metri causa extremam literam abiiciant. iam mutationes quas particulae in fine subeant per singulas deinceps adnotabo. Ac primo quidem loco ea composita perlustrabo, quae particulas non separabiles exhibent.

§. 3. *ἀνα-* particula negativa, qualis in composito *ἀνά-Fεδνος* offertur, pro forma primitiva habenda est, unde breviores formae *ἀν-* et *ἀ-* descenderunt. Servata est ea particula etiam in lingua theodisca ubi una sonat. cf. Grimm d. Gram. II, 725. Deinde tempore procedente *ἀνα-* in *ἀν* curtatum est similiterque Latini in Germani un negandi causa vocabulis praefigunt. Sed cum *ἀν* tantummodo ante vocales poni posset, ubi consonantes sequuntur, *ν* litera aut proximae literae assimulata aut omnino exstincta est: *ἀν-ήνωρ, ἀν-έστιος, ἄμμορος* (*ἀν* + *μορος*), *ἄλ-ληκτος* (*ἀν* + *ληκτος*), *ἀ-Fαγής*. In compositis *ἀθάνατος, ἀκάματος, ἀνέφελος ἀ στερητικόν* quod vocatur eadem alliteratione productum esse, Th. Bergk praeceptor dilectissimus me nuper docuit. olim primae consonantes geminatae pronunciatae sunt, posteriore vero tempore consonantis geminatae loco *α* antecedens productum est. In universum dici potest, *ν* literam, ubi metrum dactylicum postulet, sequenti literae assimilatam, in ceteris vero compositis abiectam esse.

Commode hic vocabula cum νη-particula negativa composita subiunguntur, quia iustis de causis veri simillimum videtur esse, eam quoque ad ἀνα-revocandam. Theodorus Benfey in etym. gr. lib. II p. 47 tradidit ἀνα-particulam nonnunquam in ἀνη produci. (cf. ἀνήπυστος Lobeck. Phryn. p. 701.) Porro si magnum numerum eorum compositorum quae inter ἀνη-et νη-fluctuant compares, iam non abesse a veritate tibi videtur, νη-formam exstincto α ab ἀνη-descendisse. Id certe constat, νη-latino ne- simillimum esse. ne-scio, ne-volo, ne-homo. νη-κερδής, νή-ποινος, νή-δυμος, νημερτής, νώνυμος (νη + ωνυμος).

Haud in paucis vocabulis compositis ἁ vel ἀ litera praefixa invenitur, quae nunc ἀ ἀθροιστικόν (collectivum) nunc ἐπιτατικόν (intensivum) appellata in aliis vocabulis alio modo explicata est; tertio loco ο praefixum quod simillimae est notionis exstat. Quae praefixa unum et idem esse Hartungius in particul. gr. doct. I p. 227. et Th. Benfey I p. 382. diserte demonstraverunt. Forma primitiva est σα vel ἁ quae particulis ἅμα, ὁμοῦ, si-mul, se-mel, finitima unitatis vel communitatis notionem composito iniungit; cui rei exemplo sunt vocabula ἅπαξ (se-mel) ἅπλοος (si-mplex) ἅπαντες. Porro ἀ praefixum aut unum hominem una cum altero eiusdem rei participem esse indicat (ἄλοχος = idem λέχος una cum viro habens), aut compluribus eandem rem vel actionem attribuit (ἄθροος); aut ad unum solum hominem spectat eumque totum et omnem eiusdem rei repletum esse denotat (ὄβριμος = unam eandemque gravitatem secum habens).

ἀρι-vim vocabuli sequentis auget et in maius tollit, etenim idem significat atque nostrum „sehr", cuius particulae etymon si respicis, ad ἀρείων, ἄριστος revocanda tibi videbitur; quas formas cum vocibus Ἄρης, ἀρε-τή arctissime cohaerere Benfey I p. 316. docuit. est vero forma ἀρι-vel ἐρι-, etenim ambo eiusdem sunt originis atque notionis, locativus prisci adiectivi ἈΡΟΣ firmus, qui primum quidem Ἄροι sonabat, postea vero ο declinationis signum eiecit. eadem res in multis aliis adverbiis graecis nobis occurrit, ἀμφὶ = ἀμφοὶ, ἄρτι = ἄρτοι, ὕψι = ὕψοι, μόγις = μόγοις. Ex compositis afferimus haec: ἀρί-ζηλος, ἀρι-δείκετος, ἀρι-γνωτός, ἐρι-σθενής, ἐρι-βῶλαξ, ἐρι-κυδής.

ζα-forma aeolica est pro διά. ζά-θεος, ζά-κοτος, ζα-τρεφής.

βρι- intensivum cum vocabulis βριάω, Βριάρεως, βριαρός, ὄ-βριμος eiusdem originis in composito βρι-ήπνος legitur. βρι-

forma a Benfeio I p. 317. pro locativo habetur ex *Βϱιι* = *Βϱιοι* contracto, cui non assentiri non possumus.

δυσ-quod nostro „un" vel „miss" componi potest, rem quae sequente vocabulo significatur in malam partem vertit et infausti, mali, periculosi notionem attribuit. *Δύσπαϱις, δυσκλεής, δυσηχής, δυσμενής, δυσθαλπής.*

ἡμι-omni ex parte latino semi- comparandum est. *ἡμιδαής.*

§. 4. Secundo loco composita ab adverbio incipientia respiciuntur.

αἰεί. Apud Homerum formae *αἰεί* et *αἰέν* inveniuntur. forma *αἰεί* in uno composito *αἰειγενέτης* nobis offertur, quam Benfeius (I p. 7.) locativum pro *ΑἰFοι* dictum esse contendit. Benfeii enim ex sententia, F litera cum media sit inter u vocalem et consonantem *Βαῦ*, in *ε* mutata est; cuius rei exemplum vocem *ἔεδνον* pro *Fέδνον* dictam affert. at dubitari licet, num in nomine *ἔεδνον* *ε* e digamma profectum sit; nam ut in aliis (*πέπλος*) sic in hoc nomine prima syllaba F*ε* reduplicatione geminari potuit. Quare Th. Bergkii explicationem praetulerim, qui *αἰές* et *αἰεί* ex locativo *αἰεσι* neutrius *αἰέν* (aevum) genita esse censuit.

ἄγαν (sehr), si aliis vocabulis praefigitur, *ν* literam abiicit praeter in uno *ἀγάννιφος.* singularem formam compositum *ἠγά-θεος* praebet; neque vero est, cur de forma *ἠγα* ex *ἀγα* profecta dubitemus, quum saepissime primae vocabulorum syllabae, ut metro adaptentur, produci soleant. cf. p. *ἀγήνωϱ* denique exitum adverbii *ἄγαν* abiecit, ne eadem syllaba bis posita sit; eiusmodi syllabae inter se aequales homini Graeco tam male sonabant, ut anxie eas fugeret. Infra eandem Graecae linguae legem in compositis *κελαινεφής, μῶνυξ* deprehendemus. cf. quae de hac re p. 16. dicta sunt.

ἄγχι idem locativus est pro *ἄγχοι* dictus, quem iam saepius in particulis deprehendimus; ab eadem stirpe *ἀγχο*-etiam formae *ἀγχοῦ, ἀγχόσε, ἀγχόθεν, ἀγχόθι* descenderunt. composita cum *ἄγχι* formata haec sunt: *ἀγχί-αλος, ἀγχι-βαθής, ἀγχί-μολος, ἀγχι-μαχητής, ἀγχί-νοος.* praeterea vero etiam forma *ἀγχε* in uno composito *ἀγχέμαχος* reperitur; quam formam pro *ἄγχι* positam esse Benfeio nullo pacto assentiar, cum neque in ipso composito ulla causa posita sit, cur *ι* in *ε* mutari debeat, neque ex numero ceterorum locativorum eius mutationis exempla conferri possint. Equidem *ἀγχε* pro ablativo acceperim, qui proprie

quidem Ἀ*ΓΧΟΤ* sonuit, in nostro composito vero t litera abiecta in ἄγχε transiit. namque ablativum etiam apud Graecos exstitisse ex multis vocabulis demonstrari potest; cui rei exemplo sint vocabula ἀλλοδ-από-ς, ἡμεδ-απός, ἐχθοδοπός = ἐχθοδ-απο-ς τηλεδ-ἀπό-ς, ἐνδ(οδ)-από-ς, καλῶς = καλωτ; sed infra plenius de hoc casu disseretur. tum ἄγχε simillimum esset adverbio latino in e cadente, bene, male, aliis quae ex eodem casu profecta sunt.

ἄψο, haec forma qualis in composito ἀψό-ρροος exstat, primitiva videtur esse, quae tempore procedente in ἄψ correpta est. cf. Pott. Et. F. II p. 132. 316 et Benfey I. 277, quorum alter ἄψ adverbium ad ἀπὸ revocat, alter ab αὐ vel ἄFα profectum esse censet. de altero composito quod primo loco ἀψ adverbium praebet ἄψορρος dubitari potest, utrum in ἄψ et ορρος an in ἀψο et ρος dispertiendum sit. mihi vero illa explicatio praeferenda videtur, quod eundi notio usui Homerico magis apta est quam fluendi, quodque si ορρος ad ὄρ-νυσθαι revocamus, etiam forma huius compositi ceterorum eiusdem generis formationi optime congruit (παλίν-ορσος), dum altera ex parte in nullo alio composito cuius pars secunda a verbo descendit, οος in ος debilitatum est.

ἄρτι est locativus adiectivi Ἄρτος aptus. etymon huius adverbii ad verba ἀρ-αρ-ίσκω, ἀρ-θμός spectat. ἀρτι-Fεπής, ἀρτί-πους (ἀρτί-πος), ἀρτί-φρων.

ἦρι quod in solo composito ἠρι-γένεια exstat ad nomen ἔαρ vel ἦρ referendum esse nemo fortasse negabit. etenim sicuti in nostra quoque lingua Frühe et Frühling proximae necessitudinis vinclo continentur, ita etiam apud Graecos substantivum ἦρ illa matutini temporis notione ornatum fuisse contendo; tum ἦρι pro dativo vel locativo accipiendum est. melior haec interpretatio mihi videtur quam illa Benfei qua pro ἦροι dictum ad adiectivum Ἤρος (matutinus), revocandum sit.

ἴφθιμος singularis est formatio, cuius pars posterior ad nomen τιμή spectat, prima vero syllaba ἰφ ad nomen ἴς revocanda est. hoc enim in composito instrumentalis ἶφι litera extrema abiecta ad componendum adhibitus est. Instrumentalis integer exstat in nominibus propriis Ἰφιάνασσα, Ἰφιδάμας etc.

πάλιν, ἐς τοὐπίσω ut Aristarchus usum huius adverbii circumscripsit. eam solam mutationem subit, ut sequentibus li-

quidis ν literam assimulet atque ante labiales in παλιμ mutetur. παλινάγρετος, παλίντονος, παλίλλογος, παλιρρόθιος, παλιμπετής.

ὕψι ὕψοι ab adiectivo ῾ΥΨΟΣ descendisse ex adverbiis ὑψοῦ, ὑψόθεν, ὑψόθι, ὑψόσε clare cognoscitur. ὑψαγόρης, ὑψερεφής, ὑψιβρεμέτης, ὑψίζυγος, ὑψίθρονος, ὑψιπετήεις etc.

Interdum etiam locativus feminini generis adverbii vice fungitur. huc spectant formae παλαι et μεσαι et κλυται, quae primum locum compositorum παλαιγενής, παλαίφατος, μεσαιπόλιος, Κλυταιμνήστρα obtinent. Infra saepius eadem forma locativi nobis occurret, cum potissimum nomina propria composita hunc casum feminini generis sibi servare amaverint. cf. de hac re Benfey I, 139.

τῆλε, τηλυ —. fluctuant sententiae hominum doctorum de formarum illarum interpretatione. Etenim Pottius 1, p. 228 a composito τηλύ-γετος profectus τηλυ-formam in numerum adiectivorum in ύς, εῖα, ύ cadentium refert; ei τηλυ neutrum numeri singularis, τῆλε pluralis pro τηλέα dictum, τηλεδ denique forma ablativi eiusdem stirpis τηλυ esse visa est. Sane non sufficiunt vires meae, ut in re tam difficili cum viro doctissimo disceptare possim; attamen mihi liceat nonnulla adnotare, quae illi interpretationi repugnare videntur. Ac primum quidem monendum est, neutra pluralia in εα terminata quae adverbia facta sunt non extremam literam α abiecisse sed ε vocalem omisisse. cf. adverbia ὦκα, κάρτα, λίγα, σάφα ad adiectiva ὠκύς, λιγύς κρατύς, σαφής spectantia. quare ex hac quoque formatione cognosci licet, declinationis vocales in antiquiore sermone exstingui solere. Deinde Pottius cum τηλεδαπός ex ablativo τηλεδ et praepositione ἀπὸ compositum esse magna cum animi sagacitate investigavit, in hoc uno errasse mihi videtur quod τηλεδ ablativum ad nominativum, ΤΗΛΥΣ revocavit. multo potius hic casus τηλυτ aut τηλευτ sonare debebat. Denique formae τηλοῦ, τηλόθεν, τηλόσε respiciendae sunt, ex quibus apparet, priscum adiectivum ΤΗΛΟΣ exstitisse. Qua re cognita Benfeius II, 236. τηλεδ et τῆλε ablativum stirpis τηλο esse, quorum alterum t literam abiecerit, docuit. Haec interpretatio sane omni offensione caret; etenim o et ε vocalium permutatio usitatissima est per totam flexionem ἔγχος, ἔγχε(σ)ος, ἄνθρωπος, ἄνθρωπε, τρέπω, τέτροφα, λέγω, λόγος. Haec τῆλε adverbii interpretatio nostrae explicationi ἀγχε adverbii quam modo diximus, felicissime succurrit. In iis

vero quae de forma τηλυ exposuit, Benfeio assentiri non possumus. Is enim compositis τηλύ-γετος et πηλύγετος (Ahrens Diall. p. 155). inter se comparatis τηλυ ita interpretatus est, ut stirps ionica τηλο in dativo terminationem aeolicam υι pro ωι assumpsisset, υι vero in υ debilitatum esset. Denique restat interpretatio Buttmanni in Lexilog. II, p. 198. Vir de interpretatione vocabulorum Homericorum optime meritus, postquam omnibus locis Homericis inter se comparatis sententiam quae vulgo de τηλύγετος creditur falsam esse demonstravit, ex N 470, E 153, δ 11, β 365 veram compositi notionem eo definivit, ut delicatum vel dilectum vel parentum indulgentia effeminatum significet. Porro quum in Etymologico Gudiano scriptum sit τηλύγετος· ὁ τελευταῖος τῷ πατρὶ γενόμενος, τηλυ ad τέλος revocavit. Ac revera substantivo τελευτή, forma adiectivi τελυ supponenda est (cf. Benfey II, 257). τελυ forma neutrius vero quum aliter metro dactylico iniungi non posset, in τηλυ producta est. Buttmannus dum et originem et notionem formae τηλυ recte explicat, in hoc uno erravit, quod τηλυ pro τελευ positum esse censuit, ut ultimae syllabae correptio extensione prioris compensaretur. ευ diphthongus ex simplici υ illa vocalium gradatione orta est, quam grammatici indici gunam vocant (σπυδ σπεύδω; βραχύς, βραχευος = βραχεϜος = βραχέος. cf. Benfey, praefat. p. VIII.) τελυ forma neutrius unius metri causa in τηλυ mutata est.

ἑκάς (procul) priscus genitivus substantivi ἑκά est, cuius α longum, ut in adverbiis fieri solet, correptum est; ab eadem stirpe etiam adverbium ἕκα-θεν descendit. ἑκάς in duobus compositis ἑκάϜεργος et ἑκήβολος invenitur. σ litera ante consonantes Ϝ et β exstingui debuit; in ἑκήβολος vero vocalis longa prisci genitivi servata est. ἑκατη-denique in ἑκατήβολος pro ἑκατας positum videtur; namque ut Latini nominibus suffixum tus subiungere solent, ut unde aliquid genitum vel factum sit, indicent (coeli-tus, antiqui-tus etc.), sic graecis nominibus eodem cum sensu suffixum τας subnectitur. significat igitur ἑκατη-βελέτης e longinquo iactans (cf. Benfey I, 349).

§ 5. Jam ad ea composita accedimus, quae in priore loco praepositiones ostendunt. Nec vero hic opus est omnes mutationes quibus praepositiones afficiantur longius exponere, quippe quae in legibus euphonicis positae sint quae per totam graecitatem

valent. Itaque si omnium mutationum exempla adnotaverimus, rei explicandae satisfecisse nobis videmur.

ἀμφί (in utroque fine), locativus numeri singularis e stirpe Ἀ*ΜΦΟ* flexus est, unde etiam dualis ἄμφω et locativus numeri pluralis ἀμφίς = ἀμφοις descenderunt. ἀμφί-βροτος, ἀμφι-κύπελλον, ἀμφι-Fέλισσος, ἀμφ-ηρεφής, ἀμφι-μέλαινα.

ἀντὶ (ex adverso). ἀντιάνειρα, ἀντίθεος, ἀντίβιος, ἀντάξιος.

ἀνὰ, ἀνάποινος, ἀνεκτός, ἄμβατος, ἄνσχετος, ἄντιτος. sequente pyrrhichio igitur ἀνα in ἀν mutatur, ut vocabula composita versui heroico adaptentur.

ἀπὸ, ἀπόβλητος, ἀποθύμιος, ἀπηλεγής, ἀφαμαρτοFεπής.

διὰ, διαμέτρητος, διηνεκής, διάκτορος.

ἐκ, ἔκγονος, ἐκπρεπής, ἐξαίρετος, ἔξοχος, ἐξημοιβός.

ἐν, quae necessitudo inter formas ἐν, εἰν, ἐνὶ exstet, non satis liquet. Dum Benfey II, 48. ἐνὶ ex ἐν praepositione et ι demonstrativo compositum esse censet, idem infra in appendice p. 368. Ahrensii sententiae assentitur, qui ἐνὶ pro casu stirpis Ἐ*ΝΟ* accepit unde ἐν et εἰν ι litera abiecta facta essent. Sed utcunque res se habet, id certe constat, varias illas formas usui metrico felicissime servire. ἐνίπλειος, εἰνόδιος ἔναυλος, ἔνδιος, ἔμπεδος.

ἐπὶ, ἐπιβλής, ἐπιχθόνιος, ἐπήρετμος, ἐφημέριος.

κατὰ, καταθύμιος, κατηρεφής.

μετὰ, μεταδόρπιος, μετάγγελος, μεθήμων.

παρὰ. ex formis linguae sanscritae saepius cognosci potest, praepositiones priscorum nominum casus fuisse. Quod cum ita sit, παρὰ praepositio Benfeio I, p. 129. instrumentalis esse visus est; παραὶ vero aut compositione particulae παρὰ et ι demonstrativi genitum est, aut pro dativo substantivi παρα habendum. παραιβάτης, παραβλώψ, παρ-άισιος.

περὶ, περιδέξιος, περιμήκης, περιρρηδής, περιώσιος.

πρὸ, προβλῆς, προπρηνής, πρόπας, πρόφρων, πρόρριζος.

προτὶ ex πρὸ et ἔτι compositum (Pott. E. F. II, 38) pro forma primitiva habendum est, ex qua ι abiecto πρὸς et ρ exstincto ποτὶ formata sunt. ποτιδόρπιος, προσκηδής.

σὺν, συνεχής, συνήορος, σύμπας.

ὑπὲρ praepositio Ahrensii ex sententia (Diall. 150), quam etiam Benfeius (II, p. 348) probat, antiquissimo tempore ὑπερὶ sonabat. cui rei documento est forma dialectica ἰπερὶ. deinde

assimilatione literarum ϱ et ι forma ὕπεϱϱ facta est, quam Iones in ὑπεὶϱ mutarunt. ὑπείϱ-οχος, ὑπέϱ-οπλος, ὑπέϱ-μοϱος.

ὑπὸ, ὑπό-κυκλος ὑπ-όψιος, ὑφ-ηϱεφής.

2. De adiectivis compositis quae primo loco verbum exhibent.

§. 6. Haec vocabula pro varia compositionis ratione in composita germana et adulterina disponenda sunt, quorum altera formam radicalem nonnumquam o vocali auctam altera flexionis formam praebent. Radix genuina in his adiectivis offertur: αἴϑ-οψ (αἴϑω) ἑλικ-ῶπις (ἑλίσσω = ἑλικjω, ἑλικτός Benfey II, 299). μιαι(ν)φόνος. ἀγαπήνωϱ (ἀγαπάω). τλη-πόλεμος (τλῆναι). φιλ-ήϱετμος (φιλέω). Deinde nonnulla verba, quorum radices in consonantes exeunt, sequentibus consonantibus o vocalem assumunt. Lex enim communis est, ut in infestarum consonantium concursu aut vocalis interiiciatur coniungendi causa, aut priores consonantes deleantur cf. πόδεσσιν et πο(δ)σίν. Neve in his compositis extrema radicis consonante abiecta radix funditus deleretur, vocalis o interponeretur oportebat. Infra eadem res iterum nobis occurret, p. 17. Ex carminibus Homericis perpauca eius formationis composita collegi; sunt autem haec: ἁπτ-ο-Ϝεπής (ἅπτ-ομαι ἀφ-αμαϱτ-ο-επής (ἁμαϱτάνω) αἰολ-ό-πωλος (αἰόλλω) φιλ-ο-κτέανος (φιλέω) φυγ-ο-πτόλεμος (φεύγω, ἔφυγον). Quibus cum adiectivis Homericis si magnum numerum compositorum eiusdem formationis quae apud posteriores scriptores leguntur componimus, ea adiectiva in novissimis Homeri formationibus habenda esse merito contendemus.

§. 7. Maior est numerus eorum adiectivorum, quae formam flexionis posteriori parti praefigunt. Est enim lex, quae etiam in nostra lingua valet, ut nomina propria componendo formata in primo loco saepissime imperativum praebeant. rem notissimam ut exemplis affirmemus, pauca nomina attulisse sufficiet: Fürchtegott, Liebetraut, Traugott. Quibus nominibus germanis omni ex parte graeca nomina **Μενέλαος, Ἀγέλαος** respondere Grimmius in grammat. theod. II, p. 982 seqq. ad liquidum confessumque perduxit. Idemque nomina per εσι, σι vel per solam literam ι conglutinata huic formationis generi adnumeranda esse recte suspicatus est; ipse vero veram interpretationem invenire non potuit. Quid praestantius cogitari potest, quam ut iam ipsa nominis forma, quid parentes de futuro viro

optent, expressum sit, ut puer uno quoque momento nomine ipso commoneatur, cui officio destinatus sit? Hic est sensus nominum propriorum Ἀγεσί-λαος, Ἀρκεσί-λαος, Δεισ-ήνωρ. Atque adeo plus duo verba in unum nomen coniungi solebant. Cuius formationis splendidissimum exemplum exstat in nomine. Πρωτεσίλαος pro πρῶτος ἔσι λαοῦ, (primus es populi), dicto Grimmius igitur formas verbales in εσι vel σι exeuntes pro imperativis futuri temporis accepit. Sane quidem ι litera sola imperativi singularis signum esse potest; etenim suffixum secundae personae tva vel tha vel dhi = θι in lingua sanscrita nonnumquam etiam in hi debilitatur; hi vero si in linguam graecam transit, spiritum amittere solet. Quam rem Curtius in libro qui est de formationibus temporum et modorum in capite I. clare exposuit. Tamen Grimmii interpretationem probari non posse, in iis quae subsequuntur demonstrare conati sumus. Iam superest, ut aliorum sententias de illorum adiectivorum formatione breviter illustremus. Prae ceteris viris doctis Pottius et Curtius hic nobis respiciendi sunt, qui alter alteram interpretationem non malis causis innixam protulerunt. Pottius enim, quia intellexit, adiectiva illa cum imperativo composita apud Graecos non modo nomina propria esse, verum etiam adiectivorum loco rebus inanimis coniungi, eo ductus est, ut verborum stirpes suffixo σι ornatas pro substantivis verbalibus acciperet, et adiectiva illa factitivorum in numerum referret. ἑλκεσί πεπλος = ἕλκεσιν πέπλον efficiens. Concedendum est, hanc interpretationem in nonnulla idgenus adiectiva bene quadrare. At primum quidem υ longum compositi φυσίζοος huic sententiae repugnat, quod si φυσίζοος α φύσις substantivo descendisset, breve esse debebat. Deinde in ceteris compositis sola litera ι formatis τερπικέραυνος, χαλίφρων, λαθικηδής ad eandem compositionis vocalem ι nobis refugiendum est, quam Pottius evitare studuit. Denique nomen quod modo diximus Πρωτεσίλαος, quamvis ceterorum formationi simillimum sit, hanc interpretationem omnino deludit. Facillime vero fieri potuit, ut vocabula quae primum quidem tantum hominibus addi debebant, tempore procedente, cum formationis sensus iam non perspiceretur, ad res inanimas transferrentur; atque in universum notandum est in carminibus Homericis pauca tantum composita sic usurpata legi. cf. infra p. 66. Curtius in gr. gr. p. 175 longe secus horum

adiectivorum formationem exposuit, cum doceret: duplicem esse componendi rationem compositorum a verbo incipientium; aut enim stirpes puras sequente vocali nihil mutatas, sequente consonante per com positionis vocales ε, ι, ο alteri vocabulo praefigi; δακ-έ-θυμος, πείθ-αρχος, ἀρχ-ι-τέκτων, μισ-ό-γυνος aut stirpes σ litera auctas easque aoristo primo simillimas eodem modo ad composita formanda adhiberi λυσ-ί-πονος, πλήξ-ιππος, στρεψ-ί-δικος. Sed variis de causis haec Curtii sententia probari nequit. Primum quae ratio in vario vocalium ε, ι, ο usu valeat, nec Curtius dixit, nec quisquam demonstrare poterit; sed haec compositio si Curtium sequimur omnis certae legis expers est. Deinde quod stirpes σ litera auctas eodem modo atque puras stirpes sequenti vocabulo praefigi dixit, id omnino falsum est, cum compositionis vocalis ο nusquam, ε vero quantum ego scio in compositis ἀκερσεκόμης et Περσεφόνη = Φερσεφόνη solis inveniatur. In compositis ἀκερσεκόμης et Περσεφόνη suffixum σι propter ε radicale in σε mutatum esse mihi videtur. Talis vocalium assimulitio non raro in verbis graecis et latinis deprehenditur. Curtio igitur scribendum erat, omnes stirpes σ litera auctas sequente consonante unam vocalem ι assumere. Postremum neque ex Curtii interpretatione formatio nominis Πρωτεσίλαος explicari potest. Novissimum vocabulum quod iam saepius commemoravimus luculento nobis argumento est, formas in σι vel εσι exeuntes flexione formatas esse. Sed quomodo hae formae explicandae sint, nondum extra omnem dubitationem positum est. Iure cum Grimmio ι litera pro imperativi suffixo habenda est. Etenim cum in lingua sanscrita suffixum imperativi dhi = θι saepius in hi debilitare soleat, hi vero in graecam linguam translatum spirans amittere debuerit (ἰ demonstrativum respondet sanscrito chi vel hi), non abesse a veritate videtur, compositorum τερπικέραυνος λαθικηδής, εἰλίπους etc. partes priores imperativos esse. Sed num etiam in formis per σι vel εσι formatis de imperativo futuri cogitandum sit, id quod Grimmius voluit, equidem valde dubitaverim, cum neque in graeca neque in latina lingua ullum vestigium eius formae cognosci possit. Quare formas *ΤΑΜΕΣΙ*, *ἘΛΚΕΣΙ*, *ἘΣΙ*, pro persona secunda indicativi accipere malim, quae antiquo tempore suffixo σι formari solebat, deinde literarum metathesi in τάμεις, ἕλκεις et σ exstincto in εἶ transiit. Tum bene intelligitur, cur ante σ saepissime ε

positum sit; in formis *ΤΕΡΨΙ, ΠΛΗΞΙ, ΦΥΣΙ, ΦΘΙΣΙ, ἘΡΥΣΙ,* suffixum *σι* purae stirpi subiunctum est. antiquo enim tempore non modo stirpes vocali terminatae sed etiam nonnullae in consonantem exeuntes sic formari solebant. Iam ad ipsa composita Homerica nos convertamus. Formam imperativi in *ε* haec composita exhibent: *ἐχε-πευκής ἐχέ-θυμος, Ἐχέ-πωλος, Ἐχέ-νηος, Ἀγέ-λαος, ἀγε-λείη, Ἀρχέ-λοχος, ἀρχέ-κακος, Μενέ-λαος, μενε-πτόλεμος, μενε-χάρμης, ἑλκε-χίτων, λεχε-ποίης* (*λέγω*, radix *λεχ*). Imperativum in *ι* literam haec composita praebent: *τερπι-κέραυνος, εἰλί-πους, λαθι-κηδής, χαλί φρων, ἀλεξί-κακος*. Secundam personam indicativi suffixo *σι* vel *εσι* formatam in his compositis deprehendimus: *ἐρυσ-άρματες, ἐρυσί-πτολις, λυσι-μελής, πλησ-ίστιος* (*πίμ-πλη-μι*) *ταλασί-φρων, τανυσί-πτερος, φθισ-ήνωρ, φθισί-μβροτος, φυσί-ζοος. ἀερσί-πους, ἀλεξ-άνεμος, ἀλεξί-κακος* (*ἀλεξι = ἀλεξ + σι*), *ἐνν-οσί-γαιος = ἐνν-οθ + σί-γαιος* (a verbo *ὠθέω* descendens cuius stirps olim *ὀθ* sonabat cf. Benf. I, 254), *ἐν-οσί-χθων, εἰν-οσί-φυλλος, πλήξ-ιππος* (*πλήσσω = πληγ + ιω*) *ῥηξ-ήνωρ* (*ῥήγ + νυ + μι*), *τερψί-μβροτος. ἀFεσί-φρων* (*ἄFω* cf. Benf. I, 263) *ἀλφεσί-βοια, ἑλκεσί-πεπλος, πηγεσί-μαλλος* (*πήγ + νυ + μι*) *ταμεσί-χρως* (*ἐ + ταμ + ον*), *ὠλεσί-καρπος* (*ὄλλυμι = ὀλ + νυ + μι*, cuius prima vocalis metri causa producta est). Ex hac quoque formatione cognosci licet in componendis vocabulis rhythmi dactylici summam rationem habitam esse· etenim prout versus heroicus postulat, aut *ε* inter stirpem et suffixum interpositum, aut *σι* stirpi purae subiunctum est. Minime nos fugit si verborum flexionem respicimus, qualis hodie doceri solet, quam modo protulimus explicationem non in omnia huius formationis composita quadrare, quod indicativus personae secundae saepius longe aliter formari debebat, quam hic factum est. Etenim ad grammaticam quae hodie traditur omnes stirpes, sive in consonantem, sive in vocalem exeunt, terminatione *εσι* ornari debebant, nonnullae etiam vocalis gradatione aut certo flexionis signo augendae erant. *φυεσι, τεμνεσι, φθινεσι, πηγνυσι, ἀειρεσι.* Sed nemo fortasse contenderit, flexionem semper ad easdem leges factam esse, quas nunc videmus; quin etiam pro certo habendum est, permultis radicibus suffixa sine vocalis vinclo subiuncta fuisse. Posteriore vero tempore cum lingua graeca eo inclinaret, ut omnia verba flexioni in *ω* astringeret, stirpes

primitivae aliae aliis flexionum signis ornari debebant. cf. quae Benfey praefat. VIII de decem verborum flexionibus docuit, multosque locos Curtii libri qui est de formatione temporum et modorum. Simili modo atque in verbis per σι vel εσι praefixis etiam in iis quae ε et ι imperativi suffixa praebent, radix genuina ad composita formanda adhibita est.

Postremo loco Grimmii interpretationem denuo attingere nobis liceat. Imperativi formas indicativo olim non impares fuisse sed potius illum modum obtusis suffixis ex hoc progenitum notissimum est. Quodsi magnitudinem adiectivorum imperativo in e formatorum respicis, porro si addis in nostra lingua, et in lingua recentium Gallorum imperativum ad vocabula componenda plurimum valere, haud scio an has quoque formas in σι cadentes priscos imperativos habere malis. Quo probato Grimmius sensum bene perspexit eumque sola forma aliquid fefellit. Composita Ἀγεσί-λαος et Ἀγέ-λαος iam neque sensu nec forma sed uno temporum discrimine inter se distant, cum sermo graecus imperativi in σι cadentis iam oblitus eius in loco recentiorem formam ad vocabula componenda adhibuerit. Quam pulchra composita hac compositionis ratione progenita sint, luculento est documento nomen Ἀναβησί-νεως quocum tantum modo nostra nomina Springinsfeld. Schlaginsweite comparari possunt. Deinde si cum compositis ἀγεσίλαος et ἀγέλαος, ἑλκεσίπεπλος et ἑλκεχίτων composita τανυσίπτερος et τανυγλώχιν, τανυήκες etc. ταλασίφρων et ταλαεργός, ταλαπενθής etc. conferimus, unus quisque opinor etiam τανυ et ταλα formas in imperativorum numerum referendas esse nobis assentietur; neque iam cur pro radice quam in ceteris ubique compositis deprehendimus haec forma amplior offeratur, mirabimur.

Etsi explicatio compositorum τερπικέραυνος, λαθικηδής, χαλίφρων, εἰλίπους quam supra dedimus per se haud inepta est, tamen aliquae causae ei repugnare videntur. Ac primum quidem forma verbalis compositorum non tam activo quam mediali sensu instructa est; huc accedit alterum, quod τερπι dictum sit, ubi τερψι exspectaveris; denique Hesychius singularis dialecti adiectivum χάλις servavit, quod nostro composito χαλίφρων circumscripsit. Haec Hesychii forma documento nobis esse debet, in dialecto aliqua graeca adiectiva ex radicibus verbalibus suffixo is subnexo formata esse. Ac revera Homerus

ipse eius modi adiectivum τρόφις nobis offert; idcirco etiam formas τερπι-, λαθι-, εἰλι- pro adiectivorum stirpibus accipiamus, quorum nominativi ΤΕΡΠΙΣ (laetus), ΛΑΘΙΣ (immemor) substantivi πόλις in modum flexi sint. Qua sententia probata partis prioris notio passiva vel reflexiva iam omni offensione caret. In iis quae restant vocabulis alia similis formationis vestigia reperiemus. Tantum vero abest ut hanc interpretationem omnino iustam esse arbitremur, ut eam subtiliore dialectorum studio tantum confirmari aut refelli nobis persuasum sit.

3. De adiectivis compositis quae a nomine incipiunt.

§ 8. Quum nomina quae alteri vocabulo praefiguntur, aut substantiva aut adiectiva sint, huius generis composita in duas classes disiungenda sunt. Iam nomina ad tres declinationes percensebimus. Componendi leges quae ad nomina primae declina tionis spectant, paucissimis sic comprehendi possunt: nomina in η exeuntia nihil mutata sequenti vocabulo praefiguntur; quae in α breve cadunt, hanc vocalem in ο mutant, metri causa ᾰ in η, η in ᾰ transeunt. βουλη-φόρος, Ἱππη-μόλγος, ὀδυνή-φατος, μυλή-φατος, Βοη-θόος, λυκη-γενής, αἰθρη-γενής, αἰθρη-γενέτης, κοτυλήρυτος (κοτυλη + ἄρυτος), νεφεληγερέτα (νεφελη + αγερέτα), στεροπηγερέτης (στεροπη + αγερέτης). α breve in ο mutatum est in his compositis: φασσο-φόνος (φάσσα) ἀελλό-πους (ἄελλα) sed cum ο saepissime pro antiquiore α positum sit, hanc vocalium α et ο mutationem iam non mirabimur. metri causa α breve in η productum est in compositis μοιρη-γενής et γαιήοχος, et altera ex parte η in α debilitatum in vocabulis λυκάβας (λυκή), Ἀλκάθοος (ἀλκή), πυλάωρος (πυλή). In uno adiectivo composito ζείδωρος α breve nominis ζειά omnino exstinctum est. Substantiva secundae declinationis flexionis stirpem in ο cadentem exhibent, quae vocalis ο altera vocali sequente cui digamma deest, eliditur. ἀργυρό-τοξος, μιλτο-πάρηος, ἰο-δνεφής, ἄγραυλος, χρυσ-άορος, ἀργυρό-Fηλος, ἰο-Fειδής. metri causa nonnumquam ο declinationis signum in η mutatur. πυρη-φόρος, ἐλαφη-βόλος, θαλαμη-πόλος. Ibi igitur α breve quod antiquiore tempore pro ο exstabat, illa vocalium gradatione, quam saepius notavimus, in α longum productum est, postea vero ex consuetudine dialecti ionicae in η transiit.

Adiectiva in ος, η, ον cadentia in compositis formandis

easdem leges sequuntur atque eiusdem declinationis substantiva. Sequente consonante declinationis stirpem in ο exeuntem praebent: Ἐτεό-κρητες, Κακο-Fίλιον, ἀλλο-Fειδής, λευκο-θέη· sequente vocali ο. vocalem abiiciunt: δολίχ-αυλος. Ubi syllaba longa poscitur, declinationis signum ο in η producitur νεη-γενής ὀλιγη-πελέων. In duobus adiectivis ο vocali eiecta praegressae vocales contractione coniunctae sunt; τανη-λεγής et ταναύ-πους pro ταναFολεγης et ταναFοπους dicta sunt, quorum alterum ο et F litteris eiectis α in η produxit, alterum αF in diphthongum αυ mutavit. Denique composita κελαινεφής et μῶνυξ notanda sunt, quae proprie quidem κελαινονεφής et μουνωνυξ componi debebant. Sed lingua graeca eandem consonantem bis positam adeo non fert, ut priorem syllabam statim deleat; eadem de causa ἐνδαπός et ὑψιπέτης pro ἐνδοδ-απο-ς et ὑψι-πετ-ε-της dicta sunt; sed de his compositis suis locis disseretur.

Stirpes substantivorum quae tertiam declinationem sequuntur, quantum pro natura sequentis literae fieri potest, non mutatae parti posteriori praefiguntur. Itaque de compositione eorum adiectivorum, ubi in duarum partium commissura consonans et vocalis inter se contingunt, iam nihil notandum. βου-γάιος ναύ-μαχος, πτολι-πόρθος, δρυ-τόμος, ἀστυβοώτης, Ἀνδρ-αίμων ποδ-ήνεμος, κυν-ῶπις. βοF et ναF stirpes ante consonantem in βου et ναυ transire debebant; sequente vocali vero F servatum est (βοῶπις = βοFῶπις). In iis compositis, ubi consonans in consonantem incurrit, si ambae faciles sunt ad pronuntiandum, servantur, sin vero sibi obstant, aut prior consonans eliditur, aut ο vocalis interponitur. servatae sunt duae vocales in his adiectivis: ἐπεσ-βόλος, ὀρεσ-κῷος, ἐγχέσ-παλος, πύγ-μάχος, πυρ-πολέοντες. Antiquissimo enim tempore neutra in ος cadentia formam radicalem, quae hodie tantum in nominativo et accusativo invenitur, per omnes casus integram servabant. deinde quum σ litera inter duas vocales ferri non posset, in spiritum lenem transiit; haec est causa, cur in dialecto ionica hi casus per tres syllabas pronuntiari solerent. γένεος, γένεϊ = γένεσος, γένεσι; eodemque modo Latini priscas formas genesis, genesi in generis, generi mutaverunt; est enim lex latinae linguae, ut s inter duas vocales aut omnino in syllabis apertis positum in r transeat. honor = honos, honoris = honosis. ἑωσφόρος. Etiam ἠώς stirpibus in σ litteram exeuntibus adnumerandum esse non

solum ex hoc composito cognoscitur, sed etiam grammatica comparativa demonstrari potest; cf. quae Curtius in libro, quem Erläuterungen zu meiner Grammatik vocat, p. 49 de hac voce scripsit. Stirps primitiva *ἐFος* est; proprie igitur nostrum compositum *ἐοσφόρος* formari debebat et fortasse etiam nobis per *ο* scribendum est. Etenim cum in antiqua litterarum scriptura eisdem signis *E* et *O* vocales breves et longae *ε*, *ο* et *η*, *ω* exprimerentur, facile fieri potuit, ut posteri errore ducti *ο* vocalis in loco *ω* substituerent. Iam vero ex flexione nominum in *εύς* cadentium apparet prisco F eam vim infuisse, ut aut *ε* praecedens in *η* aut *ο* sequens in *ω* produceretur. *βασιλεύς, βασιλεFος, βασιλῆος, βασιλέως*. eidem litterae F adscribendum est, quod Iones pro *ἐάς ἠώς* loquebantur. Quibus rebus inter se comparatis etiam nostro in vocabulo *ο* propter F exstinctum in *ω* productum veri simillimum videtur esse.

Si duae consonantes sibi infestae concurrunt, stirpes duarum syllabarum extremam consonantem exstinguere solent, cum sic quoque sensus prioris vocabuli intelligi possit. *μελί(τ)-φρων, δαΐ(δ)-φρων, μενο(σ)-Fεικής, ὀνομά(τ)-κλυτος, χειμά(τ)-ρροος, αἱμο-φόρυκτος* cuius *α* extrema littera *τ* abiecta sequenti vocali *ο* assimilatum est. In stirpibus monosyllabis vero id fieri non potuit, quod saepius in complures consonantes exeunt, ita ut omnes consonantes delendae fuissent, quodque in nulla id genus stirpe extrema consonans exstingui potest, quin sensus earum omnino deleatur. quare *ο* vocalis addi debuit. *ἀνδρο-φόνος, ἀνδρό-κμητος, πατρο-φονεύς, παιδο-φόνος, κυνο-ραΐστης*; quod modo diximus etiam in composita *ἠερο-φοῖτις, ἠερο-Fειδής, γλακτο-φάγος, κυνά-μυια* cadit. in *γλακτοφάγος* *γαλακτ* in *γλακτ* contractum est, *κυνάμυια* vero priscum *α* pro *ο* praebet. Eadem vocalis etiam in compositis *ποδά-νιπτρον* *σ*, 504 et in adiectivo *ἀκαλαρρείτης* ex *ἀκαλός* et *ῥέω* composito reperitur. cf. quae supra de compositis *ἐλαφηβόλος, νεηγενής* etc. locuti sumus. His compositis etiam *ἁρματοπηγός* adnumerandum est, ubi metri causa *ο* additum est. Iam nonnulla composita restant, quorum formatio componendi legibus omnino repugnat. Etenim dum in praegressis *ο* compositionis vocalis perraro tantum eaque in compositis, quae coniungendi vinclo carere non poterant, nobis occurrit, illud *ο* in adiectivis *ἁλιο-τρεφής, ἐλεό-θρεπτος, κεραο-ξόος* supervacaneum atque

inutile videtur esse. etenim quae proprie quidem formandae erant formae ἁλιτρεφής vel ἁλοτρεφής, ἐλο(σ)θρεπτος, κερα(σ)-ξοος metro dactylico optime conveniunt, dummodo semper trochaeus antecedat. quare causa huius formationis aliunde nobis petenda videtur. iam duae interpretandi viae se offerunt. etenim aut formae ἁλιο, ἑλεο, κεραο a substantivis ἅλς, ἕλος, κέρας descenderunt, et composita illa posteriore tempore, cum genuinae compositionis regula iam nihil valeret, ad ceterorum similitudinem figurata sunt; quare genitivi κέραος, ἕλεος σ litera abiecta ad componenda vocabula adhibiti sunt, in ἁλιοτρεφής vero formae ἁλι, quae in permultis aliis compositis offertur, idem compositionis signum ο additum est unius analogiae gratia. quo posito in ἁλιοτρεφής forma secundaria ἅλις coniectanda aut duas compositionis vocales ι et ο hic exstare putandum est. Aut quod mihi magis probandum videtur, composita ἁλιοτρεφής, ἑλεόθρεπτος, κεραοξόος potius ad adiectiva ἅλιος, ἕλειος vel ἕλεος, κέραος revocanda sunt. Iure quod in mari et palude est ἅλιον et ἕλειον vocari poterat, nec minus apte tota materia quam tornator cornarius tractare solet neutro κέραον comprehenditur.

Tertiae declinationis adiectiva vocali terminatae stirpem flexionis quae in neutro exstat ad vocabula componenda adhibent. πολυ-βενθής, πολυ-ἀΐξ, εὐρυ-μέδων, θρασυ-μήδης, ἡδυ-Ϝεπής θεσπι-δαής· εὐη-γενής solum excipiendum est, cuius forma εὐη ita explicanda est, ut Ϝ adiectivi ἐϜύς, quod etiam nunc ex vocalium ε et υ diaeresi cognoscitur, in υ transierit, η vero ex εα neutrius pluralis vocalibus contractum sit. igitur εὐη pro ἐϜεα vel ἐϜη dictum est. In adiectivorum stirpibus vocali terminatis etiam formae ἀργι-, καλλι-, κυδι- enumerandae sunt, quae ad nomina ἀργήεις, κάλλος, καλλίων, κάλλιστος, κῦδος, κυδίων, κύδιστος spectant et in compositis ἀργι-κέραυνος, ἀργι-όδους, καλλί-ρροος κυδι-άνειρα offeruntur. Huc etiam quae supra commemoravimus composita χαλί-φρων, τερπι-κέραυνος, λαθι-κηδής spectant, si nostra sententia se recte habet. Quae in consonantem exeunt, sequente consonante prout metrum postulat aut extremam literam exstingunt, aut o vocalem interponunt. μεγα(λ)κήτης, μεγαλόφρων; aut ubi fieri potest extrema consonans sequenti literae assimilatur μελαγχροιής, μελάμπους, μελάνδετος. Primam syllabam metri causa nonnumquam produci iam

satis notum est ἠυ-γένειος, εὔ-πωλος. Numeralia ubi praefiguntur formam primitivam in α longum vel breve cadentem ostendunt. τεσσαρά-κυκλος, πεντά-Fετες, ἑπτά-Fετες, ὀκτά-κνημος, ἐεικο-σάβοια. δύο et τρεῖς formis δι- et τρι- exprimi solent. δί-πτυχα τρί-ετες.

§. 9. Iam ad ea adiectiva composita transeamus, quae priore loco flexionis formam ostendunt. Etiam duo vocabula quae constructione continebantur saepius in unum vocabulum coniuncta esse non mirum videtur, quippe quae compositio in multis aliis linguis obtineat. Neque id mirandum, quod secunda structurae pars ad similitudinem ceterorum compositorum mutari, quod si verbum est, formam adiectivam a verbo ductam, sin vero nomen, casum nominativi induere soleat, ita ut in priore tantummodo parte flexionis forma servetur. Quare hominis anxii est et religiosissimi vocabula Ἑλλήσποντος, οὐδενόςωρος Θ 178 Διίφιλος alia, quorum partes etiam nunc structura continentur, sola in adulterinis compositis habere. Iam ex comparatione omnium id genus vocabulorum clare elucebit, nisi flexionis formas acceperis, eorum formationem a te bene explicari non posse, et notionem duarum partium rationemque qua inter se nexae sint intuitus, illorum adiectivorum significationem cum nostra formationis explicatione optime congruere non negabis.

Genitivus singularis exstat in compositis Ἑλλήςποντος, οὐδενόςωρος. Sed priusquam ad ceteros casus progredimur, pauca praemittenda sunt. Iam ex iis quae antecedunt satis cognovimus, plurima adiectiva composita propter singularem formationem in tempus antiquissimum referenda esse, veluti ἑλκεσίπεπλος ἐγχέςπαλος. Hanc ob causam generis neutrius formam in εσι cadentem non semper pro dativo pluralis numeri, sed saepius etiam pro dativo vel locativo singularis accipere malim, qui casus prisco tempore in εσι exibant, postea vero σ eiecto in εϊ vel ει mutati sunt. Haec singularis mumeri notio clare cognoscitur in nomine proprio Μηδεσι-κάστη, cui nomini melius convenit verbis, „prudentia excellens" quam „singulis consiliis excellens" circumscribi. Sane negari non potest, numerum pluralem in iis vocabulis postulari, in quibus multitudo alicuius rei vel singulae species respiciuntur. Atque in aliis nominibus hic numerus clare expressus est, veluti in δικας-πόλος (ὁ δίκας πολέων) et in Ναυσίκαα (navium multitudine praestans). Sed ubi optio nobis

data est, singularem numerum praeferemus. Locativus nobis offertur in Ἰθαι-γένης, Πυλαι-μένης, Πυλοι-γενής ἁλί-πλοος, ὀρεσί-τροφος. etenim suffixum huius casus genuinum ι fuit, unde factum est, ut postea cum dativo, cui idem suffixum est, in unum casum comprehenderetur. sed etiam nunc discrimen quod inter ambos casus intercedebat cognosci licet, cum in dativo extrema stirpis vocalis produci soleret, in locativo non item; (οἴκῳ οἴκοι); nimirum haec res tantum in nomina primae et secundae declinationum cadit. Dativum longe plurima composita praebent: ἐγχεσί-μωρος, τειχεσι-πλήτης, Διι-πετής, Διί-φιλος, Ἀρηί-φιλος, Ἀρηί-θοος, Ἀρηί-λυκος, δουρι-κτητός, δουρι-κλυτός, γυναι-μανής. nam forma primitiva huius nominis γυνὰ vel γυνὴ fuit, quae etiam ex boeotico βανά cognoscitur; deinde γυνὰ cum stirpe verbi εἴκ-ω in unum nomen coniunctum casus γυναικὸς, γυναικὶ etc. formavit. Huic casui etiam nonnullae formae generis feminini in αι cadentes quae ab adiectivis descenderunt adnumerandae sunt. Cum in universum genus femininum tum praecipue dativus dignus visus est Graecis, qui adverbii loco usurpetur. id genus dativi cognoscuntur in compositis μεσαι-πόλιος, κραται-γύαλος, κλυται-μνήστρα. singulus denique dativus exstat in adiectivo πυκιμήδης. πυκὶ et accusativus πύκα soli ex casibus nominis πὺξ servati sunt. quare πυκί forma dativo ἀλκί simillima est, atque adeo dativus ex praepositione pendens invenitur in composito ἐμπυριβήτης. Instrumentalis quem iam supra in parte priore compositi ἴφθιμος cognovimus, in vocabulis Ἰφιανάσσα, Ἰφιδάμας, Ἰφι-μέδεια, Ἰφί-νοος, Ἴφι-κλος = Ἰφι-κλῆς integer servatus est. Dativus pluralis numeri offertur in his adiectivis μογοστόκος = μογοιστοκος, quae dativi forma omni ex parte dativo θεος in θεόσδοτος respondet, θέσφατος = θεοῖς φατός, θέσκελος = θεοῖς εἴκελος, Ναυσι-κάα, Ναυσί-θοος, ναυσι-κλυτός, ναυσι-βάτης. Κηρεσσι-φόρητος, ἐντεσι-Fεργός. accusativnm pluralis compositum δικασ-πόλος exhibet. cum in quibusdam nominibus certi casus saepius ad vocabula componenda adhiberentur, facile fieri potuit, ut posteriore tempore etiam alia vocabula, quorum significatio ab illis casibus abhorrebat, ad similitudinem ceterorum compositorum iis subiungerentur. Fortasse aliquis iam compositorum Ναυσίθοος et ναυσι-βάτης formationem vituperet neque immerito, quamvis id genus formatio tolerari possit. eodem modo dativi ἀλι- et αἰγι- in quolibet composito usurpati

inveniuntur, dum in antiquissimis compositis Homericis semper ex posteriore vocabulo pendent. *ἁλι-αής*, *ἁλί-πλοος*, *Ἁλί-ζωνοι*, *Ἀλι-θέρσης* dativi sensum clare ostendunt; *ἁλι-μυρήεις* vero analogiae gratia sic formatum videtur. simili modo compositum *αἰγί-βοτος* ab *αἰγί-λιψ* distat. Sed etiamsi haec analogiae formatio iam in carminibus Homericis deprehendatur, tamen dubito vocabulum *ἁλι-πόρφυρος* eadem ratione interpretari. Certe liceat mihi alteram explicationem huius compositi prodere, quae eius sensui melius convenit; iam supra in compositis *ζεί-δωρος* et *ληι-βότειρα* vidimus declinationis signum, ut composita ad metrum dactylicum apta fiant, elidi posse; igitur sicuti *ληϊ-βότειρα* vocabuli pars prior a nomine *λήϊον* descendit, ita *ἁλι*-forma in nostro composito ad adiectivum *ἅλιος* revocari potest. *ἁλιπόρφυρος* tum revera significaret „purpuram marinam habens“, qua interpretatione nulla melior est. Quomodo composita *ἀνδρεϊφόντης* et *ἀργεϊφόντης* interpretanda sint, inter homines doctos omnino non constat. Iam liceat nobis ceteris interpretationibus novam addere, quam nusquam adhunc legimus. cum *ει* semper in quinti pedis thesi legatur, nulla re prohibemur, quin *ει* per diaeresin pronuntiemus; tum *ἀνδρεϊφόντης* et *ἀργεϊφόντης* nostra ex sententia antiquitus *ἀνδρεσιφόντης*, et *ἀργεσιφόντης* pronuntiata sunt, postea vero *σ* inter duas vocales in spiritum lenem debilitatum. Quod olim *ἀνδρεσι* pro *ἀνδράσι* pronuntiatum esse contenderimus, nemini fortasse offensioni erit. Dativus singularis vero *ἀργεσι* a nominativo neutrius *τὸ ἄργος* (splendor vel lux) ductus ea de causa non inter res fabulosas reiiciendus est, quod etiam alterum compositum *ἐν-αργής* ad eandem vocem intermortuam *ἄργος* spectare videtur. Quare si verbum verbo interpretamur, *ἀνδρεϊφόντης* hominibus interfectorem (homicidam) et *ἀργεϊφόντης* luci interfectorem significat. Quae structura dativi si fortasse cui liberior esse videatur, eum compositi *Ἀρηΐλυκος* commonefacimus, quod nomen ex *Ἄρης* et *λυκή* (fax) compositum hominem „Marti facem“ appellat. Denique Mercurium *ψυχόπομπον* et caliginis deum haud inepte lucis interfectorem vocari unusquisque nobis assentietur. cf. Otofr. Muelleri hist. litt. gr. I p. 25. Extremo denique loco restat, ut de ablativo graeco paucissimis loquamur. Suffixum huius casus genuinum t fuit, ante quod o vocalis plerumque in *ω* produci solebat. Attamen haec vo-

calis *ο* productio non sibi constitisse videtur, cum saepius etiam *ο* deprehendatur. Illam ablativi formam in *ωτ* cadentem etiam nunc adverbia in *ως* servarunt; ibi enim *τ* littera, quae in exitu tolerari non posset, in *ς* mutata est *κακῶς, καλῶς*. Porro nonnulla vocabula in *δαπος* exeuntia hic commemorari debent, quae ex ablativo et praepositione *ἀπὸ* postposita coniuncta esse Pottius primus docuit. speciosa profecto explicatio et quae cum notione vocabulorum optime congruit. In his igitur compositis t suffixum inter duas vocales positum in d transiit, atque deinde *ς* nominativi suffixo addito duae illae partes in unum vocabulum coierunt. Iam Buttmannus quoque Lexilog. I p. 126 hanc compositionem perspexerat, neque vero is causam interpositi *δ* intelligere poterat. Apud Homerum haec composita invenimus: *ἀλλοδαπό-ς, παντοδ-ἀπό-ς, τηλεδ-ἀπό-ς*. eodemque modo *ἐχθοδοπός* = *Ἐχθοδ-ἀπό-ς, ἡμεδ-ἀπό-ς, ὑμεδ-ἀπό-ς, ἐνδαπός* = *Ἐν(δο)δ-ἀπος*. formata sunt. Dum ablativi suffixum t praecedente vocali longa ubique servatum est, post brevem vocalem facile evanescere potuit. Quare cum Benfeio etiam *τῆλε* huc refero; eodemque modo *ἀγχε-* in *ἀγχέ-μαχος* explicandum mihi visum est. Unum adiectivum *ἀλλοπρόσαλλος* restat, quod compositum statim ex praepositione *πρὸς* inter repetitum *ἄλλος* posita adulterinum esse cognoscitur. Quare in priore *ἀλλο* casus aliquis lateat necesse est; sed quae forma hic olim exstiterit, difficile est intellectu, cum et *ἄλλου* et *ἀλλοι* et ablativus *ἀλλοτ* in *ἀλλο* debilitari potuerit. significat vero Martem *ἄλλοτε πρὸς ἄλλον* se vertentem.

§. 10. Nomina et verba quae priori parti subnectuntur haud raro in capite vocalis gradatione afficiuntur, ita ut *α* in *η*, *ο* in *ω*, *ε* in *η* vel *ει* immutentur. imprimis multa vocabula vocalem a qua incipiunt ita auctam praebent. sunt autem haec: *ἄνεμος. ποδ-ήνεμος; ἀκή. εὐ-ήκης, τανυ-ήκης, πυρι-ήκης; ἔρετμον. ἐπ-ήρετμος, δολιχ-ήρετμος, φιλ-ήρετμος; ὄνομα. νώνυμος, ἐπώνυμος; ὄνυξ. μῶνυξ, γαμψ-ῶνυξ; ἄγω. κυν-ηγέτης; ἀλγείνω. δυσ-ηλεγής; ἀμείβω. ἐξημοιβός, ἐπημοιβός; ἄρω. ἐπίηρος; ἀρόω. ἀν-ήροτος; ἔραμαι. ἐπήρατος; ἐρέφω. ἀμφ-ηρεφής, ἐπ-ηρεφής, κατ-ηρεφής, ὑπ-ηρεφής, ὑψ-ερεφής; Ἐνεκ(ἤνεγκον). κεντρ-ηνεκής, ποδ-ηνεκής. Ἐλα (ἐλαύνω = ἐλα + νυ + ω). ἱππ-ήλατος; θάλλω(θαλ). ἀμφι-θαλής, νεο-θηλής, ἐρι-θηλής. ὄζω (οδ). εὐ-ώδης; ὀρύττω. κατ-*

ὠρυχϛή; κεράννυμι. ἀκήρατος; τείρω (τερ + ιω) ἀ-τειρής; ῥέω. εὐ-ρρεί-της; πείθω (ἔ + πιθον) ἀ-πειθής. Inquirentibus nobis illius gradationis causas, ea modo vocalium inconstantia modo sequentium consonantium natura facta videtur esse. Ut rem exemplis illustremus *ὄνομα* apud Iones *οὔνομα* dicebatur; deinde cum liquidae in vocabulis componendis paene ubique geminentur (*καλλίρροος, εὐμμελίης* etc.), earundem litterarum pleniori pronuntiationi attribuendum est, quod potissimum vocales liquidis praepositae produci soleant. *ἀτειρής, εὐρρείτης, ἀπειθής* nescio qua de causa stirpem praesentis temporis exhibent. In universum vero notandum est vocales metri gratia productas esse, cum alio modo composita ad versum heroicum apta fieri non possent.

B. Secundo igitur loco de mutationibus quas compositorum pars posterior subeat, disputabimus. Pro natura secundae partis adiectiva composita in tria genera disiungenda sunt, prout aut in substantivum aut in adiectivum aut in formam adiectivam a verbo ductam exeunt.

I. De adiectivis compositis quae in nomen substantivum exeunt.

§. 11. In universum haec lex valet, ut substantiva non novis adiectivi suffixis augeantur, sed nihil mutata parti priori subiungantur. Attamen pauca vocabula inveniuntur, quae certos adiectivi exitus assumpserunt; de quibus in extrema huius capitis parte disseretur. Iam vero non omnium substantivorum exitus tales sunt, qui etiam pro adiectivorum terminationibus valere possint. Sed substantiva feminini et neutrius generis saepissime in masculina transformari debent; quin etiam nonnulla masculina ut in genera deflecti possint, levibus mutationibus afficiuntur. Quae cum ita sint, substantiva pro variis terminationibus respicienda sunt, atque quibus mutationibus afficiantur exponendum.

Substantiva primae et secundae declinationum in *α, η, ος, ον* cadentia nonnullis tantum exceptis omnia *ος* exitum assumere solent i. e. certam flexionis terminationem in finitimi masculini exitum commutant; quare nomina masculina nihil mutantur, feminina et neutra vero *α* longo in breve *ο* mutato et *ν* litera abiecta *ς* litteram assumunt. Antiquitus exitus *ος, η, ον* arcte cohaesisse et ex adiectivorum flexione in genera *ος, η, ον* cog-

noscitur, et ab hominibus doctis affirmatur, qui formas primitivas as, a, am fuisse ex doctrina grammaticae comparativae docent. Secundum regulam quae posteriore tempore de adiectivis compositis valet, genus masculinum etiam feminini vicibus fungatur oportebat. quamvis haec regula Homero non ignota sit, tamen haud pauca composita formas femininas expresserunt, atque in nonnullis simul utriusque generis formae feminini loco usurpatae sunt. sed certa lex varii usus statui non potest. iam exempla sequantur:

ος: ζά-θεος, εὔ-πεπλος, τερπι-κέραυνος, χρυσό-θρονος, μεγά-θυμος, βροτό-λοιγος, εὐρύ-χορος, Ἀρκεσί-λαος.

α, η: ἀντί-βιος (βίη) εὔ-ζωνος (ζώνη) ἐννοσί-γαιος (γαῖα) βαρβαρό-φωνος (φωνή) πολυ-μήχανος (μηχανή).

ον: ἔμ-πεδος (πέδον) ὑψι-πέταλος (πέταλον) ἀργυρό-τοξος (τόξον) εἰνοσί-φυλλος (φύλλον) πολύ-ζυγος (ζυγόν).

Deinde pauca adiectiva composita femininum tantum genus formarunt. *ἀργυρό-πεζα, κυανό-πεζα, εὐρυ-άγυια, ἀμφι-λύκη, κυνά-μυια.* ibi igitur substantivum feminini generis nihil mutatum parti priori subiunctum est, quia id genus vocabula solis femininis addi solebant. Eadem componendi ratio obtinet in neutrius generis composito *ἀμφι-κύπελλον,* quod cum una voce *δέπας* coniunctum legitur. Omnia huius generis composita accentum in antepaenultima portant.

Nonnulla substantiva in *η* cadentia ubi componuntur *ς* litteram assumunt. haec formatio priscae vetustatis speciem prae se ferre videtur; namque adiectivorum illorum usus apud Homerum perangustus est, neque posteriore tempore recentia id genus composita ficta sunt. omnia huius compositionis adiectiva in masculino tantum genere posita inveniuntur, accentum vero in paenultima portant. *εὐμμελίης, ἀργυροδίνης, βαθυδίνης, λεχεποίης, μενεχάρμης, ἱππιοχαίτης.* his vocabulis etiam compositum *κυανοχαῖτα* adnumerandum, in quo pro forma ionica in *ης* aeolica in *α* cadens expressa est.

Substantiva primae declinationis in *ης* terminata si cum altero vocabulo componuntur, nullam mutationem subeunt. *ἀγχιμαχητής, ἱππο-κορυστής, χαλκο-κορυστής, θυμο-ραϊστής, κυνοραϊστής.*

§ 12. Substantiva masculina et feminina tertiae declinationis quae in *ν* cadunt una excepta voce *φρὴν* atque stirpes vocalibus

aut consonantibus terminatae quae in nominativo ς litteram assumunt sine ulla mutatione parti priori subiunguntur. *ἐπι-ποιμήν, δημο-γέρων, θυμο-λέων, ὀλβιο-δαίμων, πολυ-τρήρων, ἑκατόμ-πολις, δολό-μητις, εὔ-κνημις, ἐρι-βῶλαξ, ἀερσί-πους, ταμεσί-χρως, πολυ-δειράς, πολυ-κλήϊς, κρατερ-ῶνυξ* alia. Accentus nisi certo suffixo inhaeret, quantum pro quantitate extremae syllabae fieri potest, retro vergit. De flexione illorum compositorum in universum notandum est ea ad similitudinem posterioris substantivi in casus flecti, eandemque formam in masculino et feminino generibus usurpari; genus neutrum silentio praeterire possumus, quippe quod nusquam inveniatur. In compositis *ἀρτί-πους, ἀελλό-πους* forma nominativi, ut metro heroico apta fiat, in *πος* debilitatur.

Substantiva in *ήρ* cadentia saepius et *φρήν* vox semper ubi componuntur in *ωρ* et *φρων* transeunt; ea vero nomina, quae *ωρ* terminationem habent, eam etiam in compositis retinent. *φθισ-ήνωρ, ῥηξ-ήνωρ, ἀγ-ήνωρ, πρό-φρων, ταλασί-φρων, μελί-φρων, ἐπι-ίστωρ (ἵστωρ), ἐπ-αμύντωρ (ἀμύντωρ).* adiectiva in *φρων* exeuntia excepto uno vocabulo *πρόφρασσα* eandem formam etiam in genere feminino retinent. Sed cum terminatio *ωρ* soli generi masculino conveniat, substantiva in *ηρ*, ubi femininum quaeritur, singularem formam in *ειρα* formare solent. *ἀντιάνειρα, βωτιάνειρα, κυδιάνειρα, καλλιάνειρα.* quae formatio ita explicanda est, ut *ια* suffixum femininum stirpi primitivae *ερ* suffigeretur, atque *ερια* metathesi litterarum in *ειρα* mutaretur. Haec feminina accentum in antepaenultimam retrahere solent. Ex proxima vocalium *η* et *ω* affinitate apparet, prisco tempore in his nominibus *α* pro *ε* exstitisse; ac profecto quidem stirps *φραν* etiam nunc ex dativo aeolico *φρασί* et verbo *εὐφραίνω = εὐφρανιω* cognosci licet. terminationem *αρ* vero ut inveniamus, ad linguam sanscritam nobis recurrendum est, in qua r vocalis gunâ aucta in ar mutari solet. *ηρ* terminatio simplicis in his compositis servata est *δυς-μήτηρ, μηλο-βοτήρ, οἰνο-ποτήρ,* atque haec quoque composita, si feminino opus est, formam *ειρα* progignunt *πουλυ-βότειρα.* Ea composita quae simplicis terminationem *ηρ* retinuere, non tam adiectiva quam substantiva putanda sunt.

Substantiva neutrius generis in *ος* cadentia ubi componuntur exitum *ής* praebent. *περι-καλλής, δυσ-κλεής, θεο-Fειδής,*

ἡδυ-Fεπής, πολυ-βενθής, πολυ-ηχής (ἦχος), εὐρυ-σθενής. Proprie quidem stirpis exitui ες ς signum nominativi personalis addi debebat, ut composita personae notionem induerent; sed cum ς geminari non posset, vocalis antecedens producta est. Est enim lex formationis, ut abiectio consonantis antecedentis vocalis productione compensetur. eadem de causa ἦτορ in composito μεγαλ-ήτωρ finem produxit. compositum πολύ-δακρυς vero illud signum nominativi personalis ς literam ostendit, quae stirpi purae subnexa est. ης exitus adiectivorum compositorum paene ubique ictu percussus est. perpauca vocabula nescio qua causa ab hac lege abhorrent. περι-μήκης, οἰ-έτης, τρι-έτης, τανα-ήκης, τανυ-ήκης, μεγα-κήτης, λυσσώδης. Nomina propria vero huius formationis omnia paroxytona sunt. Μεγα-πένθης, Μεγα-σθένης, Πολυ-θέρσης (θέρσος aeolicum pro θάρσος). ab substantivo neutrius generis intermortuo ἄργος (splendor, lux) compositum ἐν-αργής descendit, quod neutrum etiam ex composito ἀργεϊφόντης cognosci potest.

Substantiva neutrius generis in μα, ματος cadentia hunc exitum in μων, μονος commutant. πολυ-πάμων (πᾶμα) πολυ-κτήμων (κτῆμα) ἀ-πήμων (πῆμα) ἀ-πείρων (πεῖρα) ἀν-αίμων (αἷμα) Ἀνδρ-αίμων, κακο-είμων (εἷμα) ἀν-είμων, φιλο-παίγμων (παῖγμα). Profecto quidem primum suspicionem nostram movere potest, quod terminationes illae, quarum altera in ματος altera in μονος deflectitur, proxima cognatione coniunctae appellentur; sed revera eas genere tantum discrepare latina lingua auxilio vocata statim extra dubitationem ponitur. Namque substantivis graecis in μα, ματος exeuntibus voces latinas in men minis respondere et ex singulis vocabulis (ὄνομα = nomen) cognoscitur, et grammatica comparativa demonstratum est; unde stirpem primitivam mant fuisse apparet, ex qua lingua latina graviorem formam men, minis, graeca leviorem μα, ματος sibi peculiarem elegit. suffixum mant etiam nunc ex iis substantivis cognoscitur, quae terminationem men o vocali addita in mentum amplificavere, veluti tegmentum, momentum, ornamentum. in personalibus vero substantivis utraque lingua gravem formam servavit, cui rei documento sunt nomina δαίμων et sermo. Eandemque ob causam etiam neutra in μα cadentia ubi componuntur terminationem gravem induere debent; μαν terminatio vero, cum σ assumere non posset, vocalis produ-

ctione amplificata est. Deinde pauca adiectiva composita notanda sunt, quae in fine certos nominum casus exhibeant. Sunt autem haec: *δύπτυχα* *A*, 461, *εὐρύοπα* *O*, 152; *Ω* 98, quae accusativos *πτύχα* et *ὄπα* nominum *πτύξ* et *ὄψ* habent, atque *καλλιγύναικα* *B*, 683 quod eundum casum nobis offert; deinde vocabulum *πολύαρνι* *B*, 106 cum dativo *ἀρνί* compositum; eodemque modo formae *ἐρυσάρματες* *Π* 370, *ἐρυσάρματας* *O* 354, *μελανόχροες* *N* 589 explicandae sunt, in quibus terminationes nominativi et accusativi pluralis *ες* et *ας* nominum stirpibus *ἁρματ* et *χρο* subiunctae sunt.

§. 13. Nec vero omnia nomina eam declinationem, cui proprie addicta sunt, in compositis servant. Imprimis complura substantiva tertiae declinationis syllabis *ος* et *η* stirpi additis in primam et secundam declinationes transmigrant, sive nomina, qualia in tertia declinatione exstent, formationi adiectivorum minus conveniunt, sive metrum heroicum talem metaplasmum sibi flagitat. Adiectiva composita quae huc spectant haec sunt: (*ἅλς*, *ἁλ*) *ἔφ-αλ-ος*, *ὠκύ-αλ-ος*, *ἀμφί-αλ-ος*, *ἀγχί-αλος*; (*ὕδωρ*, *ὑδρ*) *μελάν-υδρ-ος*. (*νύξ*, *νυχ-*) *πάν-νυχ-ος*. (*χείρ*) *ἑκατόγχειρος*. (*πατὴρ* *πατρ-*) *ὀβριμο-πάτρ-η*. (*ὄνυμα* aeolicum *ὀνυμ*[*ατ-*]) *νωνυμ-ος*, atque consonante *ν* subnexa *νώνυμνος*, *δυσ-ώνυμ-ος*. (*μὴν*) *ἠλιτό-μην-ος*. (*ὄψι-ς*) *παν-όψι-ος*. (*ποὺς*, *ποδ-*) *ἑκατόμποδ-ος*. (*χρὼς* *χρο-*) *μελανό-χρο-ος*. (*πῦρ*) *ἄ-πυρ-ος*. (*ἆορ*) *χρυς-άορ-ος*. (*Οὖς*, *ὠτ-*) *ἄμφ-ωτ-ος*. (*ἄκτωρ*) *δι-άκτορ-ος*. (*τεῖχος*) *εὐ-τείχε*(*σ*)*-ος*. (*γῆρας*) *ἀ-γήρα*(*σ*)*-ος* et extremis vocalibus in *ω* contractis *ἀγήρως*. (*μάρτυρ*) *ἐπι-μάρτυρ-ος*. (*θέμις* *θεμιστ-*) *ἀ-θέμιστ-ος*.

§. 14. Postremo loco ea adiectiva composita notabimus, quae in fine certo adiectivi suffixo ornata sunt. Causa vero huius formationis perraro tantum perspici potest. Complura igitur nomina si componuntur suffixum *ιος* assumere solent. quorum formatio ita explicanda mihi videtur esse, ut duo vocabula primum sola structura coniuncta fuerint; postea vero suffixo *ιος* subnexo in unum vocabulum coaluerint. exempli gratia *κατὰ χθονὸς ὄντες* in *καταχθόνιοι* coniunctum est. *ἐν-αρίθμ-ιος*, *ὑπ-ωρόφ-ιος*, *ἀ-κήρ-ιος* sine malo fato, *ἀ-κήρ-ιος* non animosus, *κατα-θύμ-ιος*, *δια-τρύγ-ιος* (*τρυγή*), *παν-α-ώρ-ιος*, *ἐν-ύπν-ιος*, *μετα-δήμ-ιος*, *μετα-δόρπ-ιος*, *ποτι-δόρπ-ιος*, *ὁμο-γάστρ-ιος*, *σκοτο-μήν-ιος*, *ὑπ-ηο*(*σ*)*-ιος* = *ὑπ-ηοῖος*, *δυωδεκα-βοϜ-*

ιος = *δυωδεκά-βοιος, τεσσαρά-βοιος, εἰν-άλ-ιος, εἰν-όδ-ιος, ἐπι-χθόν-ιος, κατα-χθόν-ιος, ἐπ-ομφάλ-ιος, ἐφ-ημέρ-ιος, παν-ημέρ-ιος, κατα-καίρ-ιος, παν-νύχ-ιος, ὑπο-ταρτάρ-ιος, ὑπ-ουράν-ιος*. Sane dubitari licet, composita in *ιος* cadentia huicne ordini adnumeranda sint, an in sequentem classem reiicienda. verum etiamsi adiectiva *χθόνιος, ὅδιος* cetera reperiantur, tamen si totam compositionem et notionem vocabulorum respexeris, haec composita de substantivis descendisse males, quam ut ab adiectivis originem trahant. Plurima huius formationis composita loci vel temporis notione instructa sunt veluti *ἐναρίθμιος, ἐνύπνιος, μεταδήμιος, μεταδόρπιος, ὑπηοῖος, ὁμογάστριος* alia, vel ut planius dicam, hominem vel rem aliquam ad certum locum vel tempus spectare significant; quare relationis vis suffixo *ιος* inesse videtur. in vocabulis *δυωδεκάβοιος, τεσσαράβοιος* suffixo *ιος* pretii significatio compositis iniungitur. Iam solum compositum *ἐπετήσιος* restat eodem suffixo *ιος* instructum; finis stirpis *ἐτεσ* vero, cum quinque syllabae breves metro heroico omnino non convenirent, in *ης* productus est. *ἐπ-ετήσ-ιος* = *ἐπ-ετέσ-ιος*. *ειος, εια* vel *είη* exhibent *κυανο-πρώρ-ειος, εὐρυ-οδ-είη, εὐ-πατέρ-εια;* novissimum adiectivum si cum *ὀβριμοπάτρη* componimus, eandem formationem paragogicam praebet atque *Πηνελόπεια* a *Πηνελόπη* ductum. Porro nonnulla substantiva potissimum primae declinationis suffixo *ής, έος* amplificantur; *κενε-αυχ-ής, ἑτερ-αλκ-ής, περι-πευκ-ής, ἐχε-πευκ-ής, εὐρυ-πυλ-ής, μελαγ-χροι-ής, ἑπτα-πόδ-ης*. *ις* suffixum personae femininae reperitur in *εὐ-ῶπ-ις, βοϜ-ῶπ-ις, κυν-ῶπ-ις, κυαν-ῶπ-ις, ἵππ-ουρ-ις, ἄν-αλκ-ις*. composita in *ωπις* exeuntia propterea perispomena sunt, quod in compositione syllaba producta saepius pro contracta valet. *ἄναλκις* vero memoratu dignum videtur, quod solum ex hoc ordine compositorum etiam generi masculino inservit. In his quae modo commemoravimus compositis vera suffixa *ής* et *ις*, quorum alterum praecipue generi masculino feminino alterum inservit, radicibus substantivorum subiuncta esse inde concludi potest, quod eadem suffixa paullo infra etiam radicibus verbalibus addita videbimus. Tum *εις* suffixum saepius declinationis stirpi subnecti solet, ut copiae notionem adiectivo iniungat. *ἀμφι-γυή-εις, ποτι-φωνή-εις, βαθυ-δινή-εις*. Denique etiam *ρος* et *μος* suffixa deprehendimus in compositis *πευ-*

ιαέτηρος et *ἐπήτριμος*, quorum partes posteriores a nominibus *ἔτος* et *ἤτριον* descenderunt; in *ἐτεσ* stirpe *σ* eiecto *ε* in *η* productum est. De adiectivorum suffixis confer, quae Curtius in gr. gr. p. 173. scripsit. *ὑπερβίαλος* cum Buttmanno ad compositum *ὑπέρβιος* revocandum est, cui adiectivi suffixum *αλος* subnexum est cf. infra *ἀμιχαλόεις*.

2. De adiectivis compositis quorum pars posterior adiectivum est.

§ 15. Adiectiva in compositis nihil mutata parti priori subiuncta sunt exceptis vocabulis in *ύς* cadentibus; accentus quoque in plurimis compositis idem manet atque in simplicibus fuit. *ἀ-θεμίστιος, ἀν-άρσιος, ἀ-νόστιμος, ἐν-αίσιμος, ἐν-αλίγκιος, ἐπι-είκελος* et suffixo *ιος* pro *ος* addito *ἀ-εικέλιος*, quod metri gratia etiam in *ἀ-εκήλιος* immutatur, *ἀ-βληχρός*. porro vocabula cum adiectivis a verbis ductis composita *προ-πρηνής, ἐκ-πρεπής, ἀρι-φραδής, κακο-φραδής, ἀγα-κλειτός, δουρι-κλυτός, ναυσι-κλυτός, ὀνομα-κλυτός*, quae simplicium accentum servarunt, quippe qui terminationi quasi proprius inhaereat. In iis vero comopsitis, quorum simplicia tonum in prima syllaba portabant, tonus retro tractus est. *ἐνί-πλειος* (*πλεῖος*) *ἔμπλειος, σύμπας* (*πᾶς*)*πρόπας, πάμπρωτος* (*πρῶτος*) *πολύ-ιδρις* (*ἴδρις*). Deinde etiam metro heroico aliqua ratio habenda est; namque ictus dactylici gravitate mihi factum videtur, ut *πρόκλυτος* et *παμποίκιλος* simplicium accentus *κλυτός, ποικίλος* in antepaenultimam retraherent; eandemque ob causum *πικρός* ne compositi *πολύ-πικρος* tonus nimis discreparet ab ictu heroico ultimae accentum in tertiam syllabam reiecisse videtur. Deinde nomina propria excipienda sunt; in his enim accentus semper in antepaenultimam retrahi solet. *Ἀρηίφιλος, Ἀρηίθοος, Ἀλκάθοος*.

Adiectiva in *ύς* cadentia ubi componuntur in *ής* mutantur, et feminina ea mutatione afficiuntur, ut tonum in tertiam syllabam retrahant. *χαλκοβαρής, χαλκοβάρεια, θυμηδής, οἰνοβαρής, ποδώκης, μελιηδής, ἀμφιδάσεια, ἱπποδάσεια.* in *ποδώκης* accentus in paenultimam transferri debebat, quod caput adiectivi *ὀκύς* productum est. infra enim saepius nobis occurret, hanc vocalem sibi accentum flagitare. Denique pauca composita hic notanda sunt, quorum simplicia nusquam inveniuntur. dico haec: *ἔνδιος* latino nomini „dies“ finitimum (interdiu, *Διο-*), *ἔμπαιος* (peritus, callidus), *περιμήκετος* et *ἀμαιμάκετος*. novissima com-

posita ad nomina *μῆκος, μακρὸς, μηκεδνός* revocanda esse quisque videt, sed paragoge extremae partis ei, qui formationes explicaturus est, aliquam difficultatem praebet. *ετος* mihi indicare videtur, haec adiectiva a verbo prisco cui stirps *μηκ* vel *μακ* fuerit descendisse, eandemque originem etiam reduplicatio alterius vocabuli, quae omni ex parte reduplicationi *παιπαλ*-respondet, denotat.

3. De adiectivis compositis quae in formam verbalem exeunt.

§. 16. Adiectiva composita quorum pars posterior verbum continet, miram formationum varietatem praebent, cum suffixa stirpi verbali adnexa pro singulari compositorum significatione varient. Primo loco ea composita tractabimus, quae verborum radicibus suffixum *ος* addunt; qua in formatione radices easdem mutationes subeunt, quas in substantivis eiusdem originis cognoscimus. ideo *ε* ubique et interdum etiam *α* in *ο* transeunt. *ἑπεσ-βόλος* (*βάλλω, βολή*), *βουλη-φόρος* (*φέρω, φόρος*), *αἰγί-οχος* (*ἔχω, ὄχος*), *παλίν-τονος* (*τείνω = τενjω, τόνος*), *ἱππό-δαμος* (*δαμ-άω, ἐδά-μην*), *σακέσ-παλος* (*πάλλω = παλjω*), *ἀνδρο-φόνος* (*φον-εύω, φονή*), *πάν-αιθος* (*αἴθ-ω*), *ἰο-δόκος* (*δέχομαι*) alia. Huc etiam *ἰόμωρος, ἐγχεσίμωρος, ὑλακόμωρος* referimus, quae composita nostra ex sententia formam *μωρος* a verbo *μάρνασθαι* duxerunt. *ν* literam coniugationis signum esse, quod in componendis vocabulis eiici debebat, nemo fortasse negaverit. *μαρ* stirps vero vocalis *α* gradatione facillime in *ω* mutari poterat. Cum Benfeii ex doctrina prisca huius stirpis forma *μαρδ* esset, nihil dubito nostro cum verbo etiam nomen latinum Mars Martis, Mavors Mavortis, Mamers conferre. avo mihi productione vocalis *α* factum videtur. Mamers denique quae forma Osca fuisse traditur, reduplicatione stirpis mar facta est. Novissimo loco compositum *ἀμφιέλισσος* restat, quod pro radice *ἑλικ* praesentis stirpem *ἑλισσ* praebet. Deinde haec composita pro accentu valde inter se discrepant, nec causa varii accentus semper clare perspici potest. Attamen leges quae in accentu ponendo valuisse nobis visae sunt, leviter circumscribere conabimur. Initium vero nobis faciendum est a paroxytonis. Paroxytona ea composita sunt, quorum verba etiam passive intelligi possent, nisi accentu activa notio clare indicata esset, sunt autem haec: *ἑκηβόλος, ἑκατηβόλος, ἐλαφηβόλος,*

ἐπεσβόλος, δημοβόρος, θυμοβόρος, ἰοδόκος, ξεινοδόκος, εἰροκόμος, σηκοκόρος, θυοσκόος, κεραοξόος, δικασπόλος, θαλαμηπόλος, ἱπποπόλος, οἰοπόλος, ὀνειροπόλος, ὁδοιπόρος, ποντοπόρος, λαοσσόος, μογοστόκος, πρωτοτόκος, δρυτόμος, γλακτοφάγος, λωτοφάγος, σιτοφάγος, θυμοφθόρος, ἀνδροφόνος, παιδοφόνος, πατροφόνος, φασσοφόνος, ἀθλοφόρος, βουληφόρος, ἑωσφόρος, ἰσοφόρος, λαοφόρος, πυρηφόρος, πυροφόρος, τελεσφόρος, χρυσοχόος. Proparoxytona sunt ea, quorum verba aut passiva sunt aut intransitiva aut talia, ut in ea compositione passive intelligi non possint. *εὔξοος, τρίπολος, παλίντονος, ἀμφίδρυφος, παλίλλογος* passivam notionem clare ostendunt. *ἀγχίμολος, ἐπίδρομος, βριήπυος, μετήορος, πάναιθος, ὀλοοίτροχος* intransitivi verbi gratia accentum in tertia syllaba gerunt. Omnino etiam id notandum est, huius formationis composita, quae a particula vel adverbio incipiant, tantum non omnia *προπαροξυτόνως* scripta esse. *ἐγχέσπαλος, πτολίπορθος, ἰόμωρος, ἐγχεσίμωρος, ἱππόδαμος, αἰγίοχος, γαιήοχος, ἀλλόθροος* denique, quamvis verba active usurpata sint, tamen in antepaenultima accentum gerunt, cum de passiva notione in iis adiectivis ne cogitari quidem possit. eadem de causa etiam *ἀγχέμαχος* et *ναύμαχος* hoc accentu notata sunt, dum *πυγμάχος* paroxytonon est. *ἀμφίπολος* et *ἑκάεργος* propterea quod cum particulis composita sunt *προπαροξυτόνως* scripta mihi videntur. Praeterea pauca composita accentum in fine gerunt veluti *ἁρματοπηγός, ὀχετηγός, ἀεργός, ἐντεσιεργός,* sed neque ex ipsa formatione neque ex notione compositorum aut ex usu metrico ulla causa mihi cognoscenda est, cur accentus in ultima positus sit; forsitan longa paenultima aliquid valuerit in accentu ponendo. De nonnullis vocabulis sane dubitari potest, utrum a verbo descenderint, an ad nomen substantivum revocanda sint. *ἀγάννιφος* (*νὶξ νιφὸς, νίφω*), *παλίλλογος* (*λόγος, λέγω*), *εὔρροος, ἀγάρροος* (*ῥόος, ῥέω*), *ἀλίπλοος* (*πλόος, πλέω*), *ἀεργός, ἐντεσιεργός* alia id genus. Ex nostra dicendi consuetudine verbi notio adiectivis compositis aptior videtur esse, atque Homero ipsi verbi notionem praevaluisse ex circumscriptione compositi *πολύτροπος* apparet, cum poeta sic pergat: *ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη.*

§. 17. Porro verborum stirpibus suffixum passivum *ής* subiungitur. Plurima huius formationis composita sensum passivum

habent; attamen haud pauca intransitiva verba eodem suffixo ornata inveniuntur. *ὑπεραής, θυμαλγής, ἡμιδαής, ἀμφιδρυφής, κεντρηνεκής* (*ἐνεγκ*), *εὐεργής, ἀμφηρεφής* (*ἐρεφ*), *δυςθανής* (*θανεῖν*), *ἀμφιθαλής, ἐριθηλής, γυναιμανής, κατωρυχής* (*ὀρυχ*), *παλιμπετής, δυς πονής, εὐρρεής, κυκλοτερής, ἀτειρής, νεοτευχής, ζατρεφής, προφερής, εὐφυής.* Dum maxima illorum compositorum pars verborum radices exhibet, pauca praesentis stirpem servarunt. sunt autem haec *ἀπειθής, ἀτειρής, νεοτευχής.* Sane quidem recedunt illa adiectiva a communi componendi lege; nec vero quo alio modo verborum syllaba prima produci eaque vocabula metro dactylico aptari potuerint video. quare ea a poeta recenter ficta esse contenderim. Compositi *ἐπιδευής* diphthongus ex prisco digamma mihi nata videtur. Adiectiva *ἐριθηλής* et *νεοθηλής* vero metri causa productam vocalem exhibent, id quod sexcenties in vocabulis Homericis deprehendimus. Si stirps verbi vocali terminata est, *τής* addi solet *χαλκοβατής* (*βαίνω-βανjω*). *ής* suffixum proprie quidem semper accentu ornari debet; attamen pauca composita inveniuntur, quae accentum in paenultima portant: *εὐώδης* (*ὄζω*) *εὐῆρες* pl. (*ἄρω*) *θυμήρης, χαλκήρης, ποδάρκης,* (*ἀρκέω*). In quattuor prioribus compositis primae vocalis productio hanc accentus transpositionem sibi flagitavit; in novissimo vero vocabulo *ποδάρκης* versus ictu videtur factum esse, ut accentus in paenultimam retraheretur. Hic quoque quaeri potest, utrum composita in *γενής, γένεια* cadentia ad substantivum *γένος* revocanda, an a stirpe verbali *γεν* (*γενέσθαι*) descendisse putanda sint. illam explicationem formatio teminina *γένεια,* hanc vero compositum *αἰειγενέτης* commendant. sed valde dubitaverim, num haec quaestio unquam dissolvi possit; nec multum interest, sive adiectiva illa huc sive illuc profecta esse putemus. Infra ea formationi verbali adnumerabimus, quia hoc modo eorum significatio melius circumscribi potest, quam si ad nomen *γένος* retulerimus.

§. 18. Classem tertiam composita in *τος* cadentia efficiunt. *τος* suffixum adiectivi verbalis aut stirpi purae annexum, aut per *σ* literam subiunctum, aut denique vocalis *ε* vinclo additum est. stirps pura in his compositis cognoscitur: *ἄ-λυ-τος, ἀ-δάκρ υ-τος, ἄμ-βα-τος, ἀμφί-θε-τος, ἐπ-ήρα-τος, ἔξ-αι(τ)-τος, παρά-ρρη-τος, ἀ-πήμαν-τος, ἀ-κράαν-τος, ἀ-μέγαρ-τος, ἄ-ρρηκ-τος, ἄ-απ-τος, αὐτο-*

δίδακ-τος, νεό-δαρ-τος, πολύ-πλαγκ-τος, αἱμο-φόρυκ-τος, ἐλεό-θρεπ-τος, ὀδυνή-φα-τος, βού-βο-τος etc.

Stirpes in vocalem cadentes vocalem producunt veluti: *ἀ-πύρω-τος, δια-μέτρη-τος, εὐ-ποίη-τος, κηρεσσι-φόρη-τος* alia excepto *ἀν-ήρο-τος.*

Ea verba, quorum stirpes nonnullis in temporibus litterarum metathesi afficiuntur, hanc alteram stirpem exhibent, exempli gratia *ἄ-κρη-τος, ἄ-τλη-τος, παλιν-άγρε-τος, εὔ-δμη-τος, εὔ-τμη-τος, πολύ-κμη-τος.*

Stirpes consonantibus terminatae iis mutationibus, quae per omnem graecitatem valent, affici per se clarum est. *νεόσμηκ-τος* (*σμήχ-ω*), *ἐλεό-θρεπ-τος* (*τρέφ-ω*), *πολύ-κεσ-τος* (*κεντ-έω*) *ἄ-πυσ-τος* (*ἐ-πυθ-όμην*) etc.

Deinde *ε* inter stirpem atque suffixum *τος* interponitur, ut composita metro apta fiant, aut quod alio modo suffixum praegressis consonantibus annecti non potuerit. *ἀρι-δείκ-ε-τος, παλιν-άγρ-ε-τος, ἀ-τρύγ-ε-τος, ἐξ-αίρ-ε-τος.*

Postremo loco complura composita commemoranda sunt quorum stirpes *σ* littera auctae sunt: *ἄ-σβεσ-τος, ἄ-γνωσ-τος, ἄ-πνευσ-τος, ἀ-τέλεσ-τος, ὀψι-τέλεσ-τος, ἐπί-σπασ-τος, εὔ-ξεσ-τος, νεό-πρισ-τος, πολυ-μνήσ-τη. πυρί-καυσ-τος.*

De verbo *τελέω* vix dubitari potest, cum a substantivo *τέλος* ductum sit, hic *σ* olim exstitisse, quod inter duas vocales positum postea evanuerit; et ceteras quoque stirpes antiquitus dentali vel sibilante terminatas fuisse iustis de causis coniiciendum est.

Sed cum ad hanc quaestionem solvendam etiam linguae affines auxilio vocandae sint, et ne sic quidem tota res bene absolvi possit, eam paucis his verbis a nobis tactam esse quaeso ne moleste patiaris.

Omnia huius formationis adiectiva accentum in antepaenultima portant; nam duo vocabula *συμφερτός* et *ἐπιεικτός* quae sola huic legi repugnare videntur, non tam composita sunt sed ex verbis compositis *συμφέρω* et *ἐπιείκω* profecta.

§. 19. Quarto generi ea adiectiva composita adnumeranda sunt, quorum pars posterior suffixis *της* et *τις* ornata est. haec suffixa adiectivo personae vim attribuunt; etenim *της* masculino *τις* feminino generi inservit. iis stirpibus quae in consonantes exeunt, saepius *ε* vocalis annectitur. in plurimis verbis haec vo-

3

calis pro coniunctionis vinclo habenda est, cum aliter *της* suffigi non posset; nonnumquam vero etiam metri causa inserta videtur, ut duae syllabae breves proximae exstarent:

ὑψι-βρεμ-έ-της, ἑκατη-βελ-έ-της, ἐριβρεμέτης, στεροπηγερ-έ-της, νεφελ-ηγερ-έ-της, αἰει-γεν-έ-της, εὐ-μεν-έ-της, αἰθρη-γεν-έ-της, ἀργει-φόν-της, ἀνδρει-φόν-της, κυν-ηγ-έ-της, εὐ-ρρεί-της, βαθυ-ρρεί-της, ἀκαλα-ρρεί-της, ἱππ-ηλά-της, ἐμ-πυριβή-της, τειχεσι-πλή-της (*πελάζω, ἔπληντο*), *περι-κτί-της, περικτίται* (*κτίζω* radix *κτι*), *ἀστυ-βοώ-της* (*βοάω*), *συ-βώ-της* (*βόσκω*), *πυλ-άρ-της* (*ἀρ-αρ-ίσκ-ω*), *δολο-μή-της* (*μάομαιμεμαώς*, radix *μα-*) *ποικιλο-μή-της.*

Feminina suffixo *τις* formata duo inveni *ἠερο-φοῖ-τις* et *δας-πλῆ-τις.* de novissimo vocabulo cf. Pott II, 601.

Eiusdem formationis speciem etiam composita *ὑψιπέτης, ὠκυπέτης, ὠκυπέτα* prae se ferunt, cum in iis quoque accentus in paenultima positus sit. haec vocabula, quoniam a verbo *πέτ-ομαι* profecta sunt, proprie quidem *πετέτης* formari debebant, sed cum lingua graeca eiusdem syllabae repetitionem quam maxime fugeret, solum *ης* stirpi verbali *πετ* subiunctum est. In tribus id genus compositis Homerus etiam formam aeolicam in *τα* pro *της* cadentem expressit; sunt vero haec *νεφεληγερέτα, ἱππηλάτα, ὠκυπέτα.*

Postremo notandum est adiectiva sic formata omnia in paenultima accentum portare.

§. 20. Pauca adiectiva composita quae priscae antiquitatis speciem prae se ferunt, puram stirpem exhibent in nominativo *σ* littera auctam: *αἰγί-λιψ, αἰγί-λιπος, πολυ-άϊξ, πολυ-άϊκος, νε-ήλυς, νε-ήλυδος* (cuius *θ* inter duas vocales positum in *δ* mollitum est.) *παρα-βλώψ, παρα-βλῶπος, ἀπο-ρρώξ, ἀπο-ρρῶγος, παρα-πλήξ, παρα-πλῆγος.* tria novissima composita propter ultimae pondus oxytona videntur esse, dum tonus in ceteris retro vergit.

Adiectivis in *τος* cadentibus simillima sunt ea composita, quae radici gravi *τ* litteram addunt, a quibus in eo tantum differunt, quod tertiam declinationem sequuntur. haec quoque formatio ad priscam antiquitatem spectat: *ἀ-γνώς, ἀ-γνῶτος, ἐπι-βλής, ἐπι-βλῆτος, ἀ-κμής, ἀκμῆτος, ἀ-δμής, ἀ-δμῆτος* alia; accentum ultimae inhaerere ob extremae syllabae productionem non mirum est.

Participii formatio nobis offertur in compositis πολύ-τλας, πολύ-τλαντ-ος, ὑπερ-κύδας, ὑπερ-κύδαντ-ος, ἀ-κάμας, ἀ-κάμαντ-ος λυκά-βας, λυκά-βαντ-ος Πολυ-δάμας, πολυ-δάμαντ-ος, Ἱπποδάμας aliis, quippe quae cum vere participiis βάς, βαντός, τιθείς, τιθέντος in fine omnino congruant; huc etiam femininum πρόφρασσα spectare videtur, quod a verbo προφραίνω profectum formae προφραντ-ια loco dictum est; sicuti χαριεντ-ια in χαρίεσσα transiit; tum masculinum πρόφρας suspicandum esset. Sed femininum πρόφρασσα etiam ab ipso πρόφρων descendere potuit; nam λέων, λέοντος, λέαινα = λεαν-ια documento sunt in nominibus in ων cadentibus stirpem gravem οντ praeter stirpem debilem ον olim exstitisse; hoc posito πρόφρασσα legitimum femininum compositi πρόφρων est suffixo ια stirpi primitivae προφραντ subnexo. Confer quae Benfey I p. 120. de hoc adiectivo dixit.

Deinde nonnulla substantiva et adiectiva nobis respicienda sunt, quae stirpi verbali τωρ suffixum subnectunt; sunt autem haec: ἐπι-τιμή-τωρ, ἐπι-βή-τωρ, ἐπ-αμύν-τωρ, ἐπι-ίσ-τωρ (a radice Fιδ-), ἐπι-βώ-τωρ, δι-άκ-τωρ, quod novissimum compositum metaplasmo in secundam declinationem transiit διάκτορος. Femininum ἰο-χέαιρα a verbo χέω ductum cum pro ἰο-χεαρ-ια dictum sit, ad masculinam formam ἰοχεώρ mihi spectare videtur. Respondent haec vocabula latinis in tor cadentibus, quod suffixum nomini personae agentis notionem iniungit; διάκτορος vero eandem amplificationem perpessum videtur esse atque latina participia futuri activi in urus cadentia, quae a nominibus in tor descenderunt terminatione us addita. Porro nonnulla adiectiva composita quorum pars posterior verbum est, adiectivi suffixo μων instructa sunt. μεθ-ή-μων (ἵημι, ἥσω) ἀ-νοή-μων, ἀ-δαή-μων (δάω, δαῆναι) ἀ-τλή-μων (τλῆναι) πολυ-τλή-μων. Hoc suffixum olim μαντ fuisse ex lingua sanscrita cognosci licet, ubi mant casibus gravissimis, man gravioribus, mat denique levibus inservit. Iam unicuique perspicuum erit, suffixum illud cum ματ terminatione substantivorum neutrius generis et cum terminatione μων adiectivorum compositorum, quae a neutris profecta sunt, arctissimo affinitatis vinclo cohaerere. Attamen illa composita ab his seiungenda esse, quisque facile nobis assentietur, cum alterorum formatio ad substantivum, alterorum ad verbum spectet.

Tum etiam *ων*, *ονος* suffixum quibusdam formis verbalibus additur; exempli gratia affero *Ἀγα-μέμν-ων θρασυ-μέμν-ων*, *περι-κτί-ων*, quae ad *μέμονα* et stirpem *κτι-* spectant. Feminina *Ἱππο-δάμεια*, *Πολυ-δάμεια*, *δυς-ἀριστο-τόκεια* eadem paragoge formata videntur, quam supra in femininis *εὐπατέρεια* et *Πηνελόπεια* deprehendimus.

Denique pauca adiectiva composita mihi restant, quorum formationem ipse explanare non audeo; sunt autem haec: *ἀ-κηράσιος* (*κεράννυμι*) *ἐκ-τάδιος* (*τείνω*, *τέταμαι*) *δυσ-πέμφελος* (*πέμπω*) *ἰθυ-πτίων* (*πέτομαι*). Duo adiectiva composita, quorum pars posterior a verbo descendit, suffixo *εις* = osus amplificata sunt, *ἀμιχθαλόεις*. dico et *ὑψιπετήεις*. alterum a *μίγ-νυμι* profectum est suffixo adiectivali *αλος* addito, alterum *ὑψιπέτης* iam supra cognovimus.

Iam ad participia composita nos conferamus. Notissimum est verbis ipsis nec nomina nec adverbia sed solas propositiones praefigi. itaque verba composita a nominibus vel adverbiis incipientia non ipsa compositione facta sed a compositis derivata sunt. plurima id genus verba in *εω* cadunt. haec formationis lex cadit in participia, *δολοφρονέων*, *δολοφρονέουσα* (*δολόφρων*) *εὐφρονέων* (*εὔφρων*) *ἀλλοφρονέων* (*ἀλλόφρων*) *ὑπερηνορέων* (*ὑπερήνωρ*) *πυρπολέων* (*πυρπόλος*) eadem ratione participia composita *ὀλιγηπελέων*, *ὀλιγοδρανέων*, *θυμηγερέων*, *δυσμενέων* explicanda esse ex *εων* terminatione cognoscimus, quamvis nomina, a quibus descenderint, non omnia exstent. Etiam participia *παμφανόων*, *παμφανόωσα*, *ἀκροκελαινιόων* eiusdem formationis speciem prae se ferre videntur derivationis terminatione *όων* suffixa. Deinde etiam nonnulla participia, cum saepius iisdem nominibus vel adverbiis subnecti solerent, in composita adulterina transiere. Sic composita *εὐκτίμενος*, *βαρυστενάχων*, *ἀρηικτάμενος*, *εὐναιόμενος*, *παλινόρμενος*, *παλιμπλαγχθείς* explicanda sunt.

In fine huius capitis liceat nobis tres leges compositionis graecae promulgare, quas e praegressis clare cognovisse nobis videmur: ac primum quidem certam compositionis vocalem, qua duae partes conglutinari soleant, antiquitus non exstare; deinde nomina substantiva et adiectiva, quae primum compositorum locum obtineant, non per puram stirpem sed per stirpem flexionis sequenti parti praefixa esse; denique verba antiquissimo

